F... Disserta-
tio canonico-moralis de sacra-
mentis in specie.
Cracov. 1776.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

DISSERTATIO
CANONICO-MORALIS
DE SACRAMENTIS IN SPECIE,
CUM RESOLUTIONIBUS CASUUM
EX
Corpore Juris Canonici
DESUMPTA.

jam verò
ad demonſtrandum ſpecimen profectûs
SACRÆ JURISPRUDENTIÆ AUDITORUM,
per

M. FRANCISCUM ANTONIUM
CWIERZOWICZ,
Juris Naturæ *actualem; nuper* Caſuum Conſcientiæ *ex Fundatione DOCTORIANA* Profeſſorem, Collegam Juridicum, Eccleſiæ Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ Cancellarium.

Reſpondente ad objectiones
V. D. MATHIA KASZEWICZ,
Min. OO. Clerico, Theologiæ & Lectionis dictæ Auditore.

Publicæ Diſputationi
In Lectorio Collegii CC. DD. Jure-Conſultorum
Cracovienſis Scientiarum Univerſitatis

EXPOSITA.

Annô: ConsCIentIIs peCCatI eXtoto & Integro sanCto;
* ob sanCtIfICatIoneM IVbILæI. 1776. * *Levit. 25. ℣. 12.*
Die 21. Menſis Martii.

Cracoviæ, Typis Seminarii Epiſcopalis Academico-Diœceſani.

In Stemma Gentilitium
ILLUSTRISSIMÆ
DOMUS.



I. Relligio *Regno* quum ſe ſponſaret *Amicam*,
Pro *Gemma*; hæc Patriæ tuta *Sagitta* ſtetit.
II. Qùam meritum *Fidei* Pignus! Decus, *Annulus* iſte,
Integritas ambas cûi dedit ecce *Manus*.
III. Incorrupta *Fides* Patriæ ac Hominiqué DEOqué
*Excutit** à quovis *munere* ſonte *Manus*.

* Iſaiæ *cap.* 33. ℣. 15. Iſte in excelſis habitat. *vers. ſequen.*

Ad
PERILLUSTREM & REVERENDISSIMUM
DOMINUM
SAC. ROM. IMP. COMITEM
D. VENCESLAUM
De Boguſtáwice
SIERAKOWSKI,
Utriusqué Juris DOCTOREM, Eccleſiarum; Cathedralis Cracovienſis CANONICUM, Inſignis Collegiatæ Sandomirienſis; nec non Parochialium: in Łętownia & Jordánow
PRÆPOSITUM, &c.
MECOENATEM AMPLISSIMUM

DEDICATORIA.

Et interno dictamini; & illaudatæ nusquam humanitatis legi, debitæ nempe gratitudinis Officio ſum obſequutus, quòd ex geſta ſexenniô Caſuum Conſcientiæ Juridica Profeſſione, expoſitæ Diſſertationi modernæ Aſylum *Patrocinii apud Te quæro, Tuam Protectionem appello.* PERILLUSTRIS

 REVE-

REVERENDISSIME DOMINE. *Namqué: dum ab initio rem evolŭm; ſi forſitan aliunde quem ignarum negotii præſentis comperiam, ad hoc, quò ſe in luce verſari faciam.* ≟ LUCAS DOCTOR Canonicus Cathedralis Cracovienſis, Parochialis Oſviecimenſis Præpoſitus, *hoc perpetuum amoris ſui erga ſacras Litteras & Domum Ordinandorum, publico Diæceſis Bono* in Collegio Jure-Conſultorum Univerſitatis Studii Generalis Cracovien. (*a*) *Monumentum reliquit, atqué unà cum aliis munificentiæ ſuæ Ordinationibus per Tabulas ultimæ Voluntatis ſub Tuitione* ILLUSTRISSIMI & REVERENDISSIMI CAPITULI CathedralisCracov. *illæſum, ſartum tectumq́; ſervari voluit, ex quo:* Jus *petendi apud* Reverendiſſimam Dominationem Veſtram *exigua hæc opella eſt nacta, jamqué in* Illa *omnes, quos capit altè fatum* ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM CAPITULUM *Patronum* PRÆLATOS & CANONICOS, repræſentatione *in jure reſpectivo fundata contemplatos eſse probè agnoſcit, quinimò demiſsè colit & veneratur. Verùm enimverò ex ipſo quodammodò nexu Conſcientiæ, quam concludentem ſcientiam (ex ſenſu* (*b*) Sancti Antonini) *compellare licet, quid* hìc & nunc *agendum eſſet? Cujus ſpeciali Patrocinio tantillus iſte partus! cedere deberet? exoptatum Præſidium: per rectam, juſtam, atqué omni æquitati conſonam conſe-*

(a) *Die 4ta Menſis Aprilis A. D.* 1634. maximè pro Clericis Seminarii, ſolius tunc Arcenſis Cracoviæ. (b) Biblioth. per Li Parochi e Cappellani. *Tom.* 12. *Diſſert. 3tia. de Conſcientia.*

consequentiam, ceû favorabile sidus! Nomen Honorq́; Reverendissimæ Dominationis Vestræ *votis meis adspirat*.

Ita benignè fretus; quid ex me obstricto pro utroqué Foro Reverendissimæ Dominationi Vestræ *obligatoriè exponam? in tanta* Magno Nomini *junctæ eruditionis, affabilitatis* Suæ *erga omnes ubertate, quasi quotidianis quibusdam (mihi etiam haud ignotis) experimentis? Non jam speculationi nudæ ad proficiendum in Causa præsenti locum adesse censeo, verùm practicè practicis ex Oraculo* Doctoris Gentium (*c*) Factoribus Legis, *in Candelabro Ecclesiæ* Reverendissimam Dominationem Vestram *multis propositum in Exemplum. Demirari fas est siquidem: in Stallo devotum, in Judicio Justitiæ Administrum perfectum, in consilio sanum, prudentem in lætitia, purum in conscientia, in Oratione frequentem, Zelô salutis Animarum; quibus* DEI FILIUS *in terris agens; Vitam suam, operas & labores dicavit, ad omnes* Pastoris Boni *numeros exactè impensum, patientem in adversitate, in prosperitate non tumidum, divitem in Virtutibus, expeditum in actibus, Sapientem in sermone, candidum in conversatione, in familiari consessu multiplici linguarum peritiâ, necnon usû rerum versatum, verbô: per omnia suavissimum.*

Quid? si liceret mihi per modestiam Reverendissimæ Dominationis Vestræ *laudare adhuc animum* Suum, *exhiberem illum non qualem habent, qui solùm habent, sed qualem nobilissima indoles reddit; & qualis ille eam*

(c) Romanorum *cap.* 2do. ℣. 13.

perficit. Proponerem hunc ornatum Virtutibûs & ornantem Virtutes, describerem illum: diversîs maturè instructum scientiîs & scientias instruentem, ostenderem illum generosum, (prout jam memini) justum, constantem sub inconstante fortuna, & sub inæquali semper æqualem.

Saltem si Illustrissimam Familiam Tuam Reverendissime Domine *laudari à me & nominari permitteres, ostenderem* Illam *pugnantem pro* Aris & Focis, *atqué in* Aras *extruendas & dotandas; tum & alias* Bonum Patriæ *liberaliter effusam, Sagatam & Togatam, ùt hodie Infulatam pluribûs Infulis,* Archi-Præsulea Cruce *fulgentem, rubentem pluribus Purpurîs, pugnantem pro* FIDE & REGE, CÆSARUM REGUMqué Potentûm Augustis MAIESTATIBUS *gratam, ac utrobiqué intemeratè sinceram, numerantem septem propè (d) sæcula Præcelsæ* Suæ Prosapiæ. *Deducerem Sanguinem illum quô vivis: ex venis* Ducum, Principum, *qui defluxit ad* Te *purpureus, & Purpurâ dignus intrà* Te *est.*

Obversis in Te *non Dominæ modò Orbîs* Romæ, *sed aliarum Nationum omnium quas nuper adîsti oculis ac studiis: delicio an non fueras? quando illarum non habitum modò oris lineamentaqué; sed politissimi etiamnum animi vigorem & sublimitatem in* Te *prout in illimi fonte sive tersissima crystallo redditam, omnes quicunq; adspectabant, non hospitanter resedisse, verùm firmiter immotaqué manere fatebantur.*

(d) Paprocki *pag.* 410. Ex Długoszo = Okolski *Tom. II. pag.* 321.

Omitto

Omitto hæc omnia, eò quòd sic missa esse velis, ut morem geram jussis, dum tamen abstineo laudatione, laudationem facio. Scilicet: istbæc laudum maxima est, nolle laudari, at laudabilem esse. Mereris Reverendissime Domine *laudes omnes, dum omnes respuis, & quisquis hoc dicat de* Te; Tuas *emeritas laudes recitat, hoc ipso: quod de illis tacet. Simile quid ac Conscientia erit, novum tale elogii genus, in laudes magnas referre; dum ea prætermitto, aut vix cursim commemoro. Conscientiâ siquidem (quâ nemo caret, si homo est) nulla scientia minùs loquax, & minus verbosa est, tamen ista in quolibet nostri, quid faciendum fugiendumvè; præconis instar promulgat!*

Offero itaquè jam hanc ex Studio Canonico-Morali *Casuum Conscientiæ ea parte decerptam, devictæ meæ erga* Reverendissimam Dominationem Vestram *voluntatis significationem, Æternum simulac Immortalem Conscientiarum* JUDICEM, DEUM Optimum Maximum *precabor, ut* Reverendissimæ Dominationis Vestræ *digna Honore mandata indies exequi valeam, sicquè ingratitudinis notam nusquam incurram, tum: ut in ulterius* Ecclesiæ & Patriæ Decus, Litterarum Præsidium Reverendissimam Dominationem Vestram *incolumem diu servet, nequè antea* Secum *fortunam sortiri desinere fecerit, quam Infulam cum Curuli donet, non semel* Avitæ Genti ILLUSTRISSIMÆ SIERAKOWSCIORUM *illata, in possesso pridem Domestica. Ita vovet:*

NOMINI & HONORI
Perillustris Reverendissimæ
Dominationis Vestræ,

devotus Cultor & observantissimus servus
Author opellæ.

Cavenda eſt Conſcientia nimis larga & nimis ſtricta, nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem. Prima ſæpe ſalvat damnandum, ſecunda contra: damnat ſalvandum. S. BONAVENTURA *Comm. Theol. verit. Lib. 2. cap. 32. num. 1.*

Per ſublimiórem Jurisprudentiam *Canonicam*, quæ etiam Concilia adeòqué Sacros fontes veſtigat, plurima ad Fidem pertinentia tractantur - - - & quò ad hanc partem nihil prohibet idem judicium ferre de Jure *Canonico* ac de *Theologia*. - - - Habet igitur cum *Theologia* affinitatem non modicam Jurisprudentia *Canonica. fel. mem. BENEDICTUS XIV. Summus Pontifex. Inſtit. Eccl. 42.*

DISSERTATIO
CANONICO-MORALIS,
De Sacramentis in Specie.

§. 1mus:
De Baptiſmi Sacramento.

Ad Decreti tertiam partem; *de Conſecr. Diſt. IV.* Decretal. Greg. *Lib. III. Tit. XLII.* Clementinar. *Lib. III. Tit. XV. c. unic.*

CANONISTÆ: qùod ſuo modô dicantur Theologi Morales, quiſq; præſertim non ignavus utrinqué, facilè id conceſſerit. Expedita proin in antè proximè ſimili concertatione, in materia de Conſtitutionibus Eccleſiaſticis ex *Lib. I.* Inſtit. Juris Canonici *Tit. III.* petita, cùm ordine Profeſſionis, tum ex connexione Caſuiſtarum cum Canoniſtis: opere pretium modernæ eſt, materias diverſas morales relatè ad SACRAMENTA in ſpecie, ex Corpore Juris Canonici percurſas, ſeorſivè hìc adferre.

Aſt ſiquidem BAPTISMUS eſt fundamentum & janua omnium Sacramentorum. *c.* Veniens. *de Presb. non bapt.* meritò ab eo principium ſumendum, primaqué fronte de hoc agendum venit. Ejus natura juxta DD. eſt, qùod ſit: *Ablutio corporis exterior, facta in aqua ab alio abluente, adhibita certa verborum formâ, interiorem animæ ablutionem deſignante, imò & operante.*

Trifariam dividitur, in alium *Fluminis.* hoc eſt aquæ cum verbo. *can.* Detrahe verbum. 1. *q.* 1. *c.* Debitum. *de Bapt. & ejus eff.* de quo in præſentiarum; & ſolus iſte eſt Sacra-

 men-

mentum, reliqui ſcilicet fluminis & ſanguinis, ſolùm per quandam analogiam appellantur Baptiſmi, quatenus ſupplent vicem veri Baptiſmi. Alium *Flaminis* hoc eſt ſpiritûs ſive deſiderii. *c.* Apoſtolicam. *de Presb. non bapt.* dum quis credit CHRISTUM & vellet baptizari, præventus tamen; repentè moritur, antequam Baptiſmum conſequatur, atque ſic ille dicitur baptiſari in ſpiritu, & hoc Baptiſmo baptizatus fuit latro in Cruce. *can.* Bapiſmi vicem. *de Conſecr. Diſt.* 4. Alium deinum *Sanguinis.* ſive martyrii juxta *d. can.* Baptiſmi vicem. quando ſcilicet aliquis pro Nomine JESU CHRISTI & Fidei profesſione occiditur, is certè in ſanguine ſuo baptiſatur, in quo & Ipſe CHRISTUS baptiſatus fuit, pueri Innocentes ab Herode trucidati, de hoc Baptiſmo inquiſivit CHRISTUS *Marci* 10. ℣. 38. *Poteſtis bibere calicem quem ego bibo, aut Baptiſmô, quo ego baptiſor baptiſari?*

Materia *remota* Sacramenti Baptiſmi eſt aqua elementaris, ſimplex, recens & munda, & quæ conſecrari poteſt oratione & Chriſmate, ut intelligamus aquam non ex natura ſua; verùm ex Divina virtute abluere ſordes peccatorum. *Proxima* verò eſt ipſa ablutio exterior. *ita cc. DD.*

Forma ideſt verba: *Ego te baptiſo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* expreſſa in illo CHRISTI mandato, poſt Reſurrectionem ſuam dato Apoſtolis. *Matt.* 28. ℣. 18. *& ſequ. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo &c.*

Intentio porro baptiſantis debet eſſe conformis Eccleſiæ, nempe qùod ipſe baptiſans intendat facere quod facit Eccleſia, aliàs Baptiſmus collatus ex joco, non eſt validus, nec delet peccata, nec cauſat characterem. *can.* Solet etiam. *de Conſecr. Diſt.* 4.

Extra caſum neceſſitatis ſolus Sacerdos propriè loquendo baptiſat & eſt Miniſter Baptiſmi. *can.* Conſtat. *de Conſecr. Diſt.* 4. noviſſimè Concil. Trident. *de Sacrament. in genere can.* 10. *Seſs.* 7. quametſi Diaconus cum licentia Epiſcopi vel Presbyteri abſentis baptiſare

poteſt

poteft. *can.* Diaconos propriam. *Dift.* 93. *can. Diaconi. d. Dift.* 93. Laicus. *can.* In neceffitate. *de Confecr. Dift.* 4. Mulier. *can.* Mulier. *ead.* Hæreticus. *can.* Sive hæreticus. Judæus. *can.* A quodam Judæo. Schifmaticus. *can.* Quos à paganis. *ibid. ead. Dift.* Paganus & hujus generis, imminente & cogente neceffitate. *can.* Sanctum eft. *de Confecr. d. Diftin.* Conc. Triden. *Sefs.* 7. *can.* 4. & validè & licitè baptifare poffunt, ita, ut qui baptifati fuerint ab his, hæreticis, Schifmaticis, & aliis modoprimùm connumeratis in Nomine Sacrofanctæ TRINITATIS, iterum; quafi non baptifati non baptifandi fint. *can.* Ab antiqua. *de Confecr. Dift.* 4.

Redeuntes ipfimet ad Sanctam Ecclefiam & finum ipfius Matris Ecclefiæ, revocantur aut Unctione Chrifmatis *can.* Ab antiqua. *de Confecr. Dift. fupr. cit.* aut impofitione manûs. *can. eod.* & *can.* Hi qui Baptifmum. 1. *q.* 1. aut fola Profeffione Fidei, quum fit interrogatio an ipfi credant? reconciliatio fit per manûs impofitionem ab Epifcopo factam, in hæc verba loquente = *Accipe Spiritum Sanctum.*

Baptifmi virtus & efficacia non tam ablutione corporis, qùam fide cordis continetur. *can.* Verus Baptifmus. *de Confecr. Sæpe cit. Dift.* 4. hinc: aliud eft *per Miniftrum* baptifare, quod Sacerdos exequitur, aliud *per Poteftatem*; quam Dominus, quò ad Se, poteftatem nimirum quam habet Excellentiæ, Sacramentis non tam invictè atqué indifpenfabiliter alligavit, quin ulli poffet fine illis tribuere Gratiam. Fufiùs hoc ipfum perhibetur in *can.* Aliud eft baptifare. *de Confecr. Dift.* 4. Ex quo meritò retunditur quorundam opinio, falfa, prava & impia, hallucinantium affirmando: neminem fine actuali Baptifmo falvari poffe.

Quemadmodùm *Circumcifio* in populo DEI, in Fidei juftitiæqué *Signaculum* inftituta, ad fignificationem purgationis originalis veterisqué peccati, parvulis valebat, ita Baptifmus ad hominis innovationem valere cœpit. *jux. can.* Ex quo inftituta. *de Confecr. Dift.* 4. Plena verò remiffio peccatorum,

quò ad reatum mortis æternæ & omnem pœnam originalis peccati; reapsè introducitur, intelligentia & operatio Spiritualium contingunt, cæteraqué dein sunt in spe, donec re compleantur in resurrectionis tempore. *d.* jam *can.* Ex quo. *de Consecr. Dist.* 4. Ad accuratam magis intelligentiam præmissorum, diligenter est videndum Sacrosanctum & *Oecumenicum* Concilium Tridentinum in quinta Sessione ejusdem, Decreto de peccato originali, in fine, ubi sic concludit = n. 5. *Si quis per* JESU CHRISTI *Domini nostri Gratiam, quæ in Baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet; sed illud dicit tantùm radi aut non imputari, anathema sit.* - - - hunc sensum infra sic prosequitur - - *Manere autem in baptisatis concupiscentiam vel fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed utiliter per* CHRISTI JESU *Gratiam repugnantibus non valet, quinimo, qui legitimè certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquandò Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Tam parvulis quàm adultis est conferendus Baptismus, nequé parvuli, effecti adulti, interrogandi: an ratum Baptismum habere velint? prout nonnulli falsò imaginati fuerunt, quorum tamen opinio sanctè fuit condemnata per Concilium Tridentinum *Sess.* 7. *can.* 14. *de Baptis.* tum & in *can.* Omnes. fideles. & *can.* Spiritus Sanctus. *sequ. de Consecr. Dist.* 5. Similiter prout etiam *Circumcisio* tam adultis quàm parvulis conferebatur ex præcepto Domini contento in *c.* Majores. § Cùm ergo Circumcisio. *de Bapt. & ejus eff.* Sed masculis tantùm. Fœminæ; licèt si non circum-

circumciderentur, tamen: die vicesima octava in Templum offerebantur, eisq; nomē imponebatur. Rectè hinc colligitur, quòd Baptismus est *generalior* Circumcisione: siquidem ne modò tantùm adultis quàm parvulis, verùm & tam masculis quàm fœminis datur. Parvuli quidem in Fide Parentum & Ecclesiæ baptisantur. *d. c.* Majores. *de Bapt. & eius eff. can.* Illud. *& seq.* §. Parvuli. *de Consecr. Dist.* 4. *can.* Parvuli alio profitente. item *can.* Parvuli fideles. *ubi supra.* Concil. Triden. *Sess.* 7. *de Bapt. can.* 7.

Baptismus ab Hæretico, Schismatico, vel Pagano susceptus quemadmodùm paulò antè retulimus licèt si valeat, tamen nemo se ipsum baptisare poterit, etiamsi instante necessitatis articulo. per *c.* Debitum, *extr. hoc Tit.* nam sicut in carnali generatione; qua proles ex Viro & fœmina nascitur, alius est qui carnaliter gignit, alius qui gignitur, sic pariformiter in Sacramentali generatione, qua soboles ex aqua & Spiritu Sancto renascitur, alius debet esse qui spiritualiter generat, alius qui generatur. *can.* Dicimus. 24. *q.* 1. Appositè fit exemplum de judæo quodam, hic in mortis articulo constitutus, cùm inter judæos tantùm existeret, in aquam se ipsum immersit, dicendo: *Ego me baptiso in Nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti, amen.* Memoratus namqué judæus denuo ab alio erat baptisandus, ut pateat, alium esse baptisatum & alium baptisantem, licèt is idem, si statim decessisset, ad cœlestem Patriam protinus evolâsset, propter *Sacramenti fidem*, etsi non propter *Fidei Secramentum*, ùt docet clarè contextus in *c.* Debitum. *hoc Tit.*

Baptisati iterum & sic bis; aut baptisati sunt *scienter*: & tunc, si pro vitio aliquo fecissent, *antiquo jure* per septem annos pœnitebant, quarta & 6ta feriis; & tres Quadragesimas jejunabant, quasi iterum crucifixerint CHRISTUM, si pro munditia putâssent, tribûs annis similiter pœnitebant. Aut *ignoranter*; & tunc nulla pœnitentia fuit imposita, ordinari verò non poterant, dum nisi magna aliqua necessitas cogeret.

geret. *can.* Qui bis. *de Consecr. sæpe d. Dist.* 4. Ast & hodie baptisans iterum, sicqué Baptismum iterans *scienter*, *1mò.* excommunicatur. *2dò.* ab omni Officio & Beneficio Ecclesiastico deponitur. *c. fin. h. Tit.*

Postremò universim cavetur, ne conferatur Baptismus in Aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc *Fontes* specialiter deputati, nisi talis necessitas emerserit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absq; periculo propter hoc accessus haberi. Regibus tamen & vasallorum Dñis, concessum est à CLEMENTE V. hujus Nominis Pontifice Maximo, ex Concilio *Viennensi Annô* 1311. celebrato; Privilegium, quo mediante, in Sacellis; Domûs suæ liberos, nepotes & pronepotes, tum qui ex his descendunt, servatis Ecclesiæ ritibus faciant baptisari. super quo videre est *cit. c. unic.* Clementinar. *Lib. 3. h. Tit.*

Judæus at verò baptisandus tenetur relinquere extorta per usuram, & licitè acquisita retinere potest. *can.* Judæi. *de Consecr. Dist.* 4. tamen differendus erit ei Baptismus per quadraginta dies, sive per aliquot menses, quo temporis inter Catechumenos habeatur, ad hoc: quò argumentum rectæ intentionis suæ haberi possit.

Cæremoniæ atqué *solemnitates* SACRAMENTI Baptismi quæ nihilominus omnes colliguntur sparsim in Corpore Juris Canonici: per totam *Distinctionem quartam. de Consecr.* brevitatis causâ, hìc, sequentibûs versibûs concluduntur.

Sal, Oleum, Charisma, Cereus, Chrismate saliva
Flatus; virtutem Baptismatis ista figurant.
Hæc *cum Patrinis;* non mutant, sed tamen ornant.

In hoc Sacramento *extra casum* urgentis periculi administrando, graviter peccat Minister licetsi validè ministret, qui, seclusa justa necessitate utitur aquâ non bene dicta, quando uti potest aqua Sacrorum Fontium ab Ecclesia præscripta, *& ratio est;* quia tenemur servare consuetudinem & præceptum Ecclesiæ quando commodè & citra periculum moriendi puerum sine Baptismo, id possumus. *d. Clem. unic. de Bapt. & ejus eff.* deinde: quia conveniens est uti materia licita & valida in tali casu, non verò validâ tantùm.

RESO-

RESOLUTIONES CASUUM.

1. MATER prægnans instante hora parturiendi, urgente mortis periculo, baptisari potest. *can.* Baptisari. *Dist.* 4.

2. Is quoque: qui nascitur ex ipsa, baptisatur, nec propter hoc dicitur Baptismus iteratus. *can.* Si ad Matris corpus. *de Consecr. Dist.* 4.

3. Qui verò sunt in materno utero, non possunt baptisari. *can.* Qui in maternis. *de Consecr. Dist.* 4. quia qui natus adhuc secundùm Adam non est, secundùm CHRISTUM renasci non potest, in eum, quem generatio non præcessit, sed bene ab utero evulsi.

4. Muti, surdi, ægrotantes, qui licèt pro se respondere non possunt, aliis pro se; nec non illis ipsîs per nutus & signa respondentibus, rectè baptisari poterunt, *can.* Parvuli. & *can.* Mater Ecclesia. *sequ. de Consecr. Dist.* 4.

5. Dormientes, amentes, baptisari possunt. *c.* Majores. §. *fin.* Item quæritur. *h. Tit.* dummodò ante somnum & ante amentiam propositum habuerint baptisandi, aliàs secus.

6. Invitus baptisatus suscipit characterem, & cogitur ad observantiam Fidei, secus: si penitus coactus. Ast invitus non omnino coactus, (*puta*) cùm quis terroribus atqué suppliciîs ad Undam salutarem trahitur. Secus item est in eo, qui nunquam consensit, sed penitus contradicit. *can.* De Judæis. *Dist.* 45. *c.* Majores. §. *fin. h. Tit.*

7. Is, de cujus baptismo ambigitur, ita: ut dubitetur de eo probabiliter, an sit baptisatus vel non? baptisari debet sub hac forma = *Si baptisatus es, non te baptiso, sed, si nondum baptisatus es ego te baptiso.* & cætera. *c.* De quibus dubium. *extr. h. Tit.*

8. Ad Baptismum conditionalem non est necessaria licentia Parochi, tum: in tali Baptismo solemnitates aut ritus non sunt iterandi, quia jam sunt facti in absoluto, pro quo instituti sunt ab Ecclesia. Quòd si autem facti non fuerint; suppleantur.

9. Perversam intentionem Ministri in conferendo Baptismo quàm & aliis Sacramentis, suppleri à DEO quò ad Gratiam, afferunt multi & graves Doctores, contrarium tamen communius & probabilius. Alius ab hoc & longè diversus casus est, si puer moritur antequam compleatur forma tota in extensum verborum, ùt exempli causâ, postquam dixit Sacerdos. *Ego te baptiso in Nomine Patris.* Summus enim Sacerdos JESUS CHRISTUS supplet, & censetur baptisatus, poteſtqué in loco sacro sepeliri. *jux. S. Thomam in 4to Sent. Dist.* 3.

10. Testis unicus, etiamsi mulier sit, sufficit ad probandum Baptismum *can.* Parvulos. & *can.* Cùm itaqné. *de Consecr. Dist.* 4. At verò si testimonium sit ab homine incerto, in re adeò gravi, ignoto testimonio deferre non possumus, quare tunc baptisandus est infans sub conditione, etiamsi schedulam de suscepto Baptismo è collo suspensam ferat, utì pro expositis in Hospitali de Sancto Spiritu in Saxia, de Urbe, respondit *Sacra Congregatio Concilii, die* 5. *Ianuarii* 1724. cujus meminit *fel. mem.* Benedictus XIV. in suo opere *de Synod. Diœces. lib.* 7. *cap.* 6. §. 5.

Opportunè advertendum hìc, qùod si agatur de baptisatis ab hæreticis qui ad Fidem Romanam venire petunt, tunc investigandum erit, num in Secta illa hæreticorum innovatum sit aliquid vel non? circa materiam & formam Baptismi. Quod & si ex ista investigatione nihil certi resultet, tunc, ac in dubio Baptismate agendum est. Isthoc dubium rationabile censendum est in Baptismate hæreticorum Hollandiæ, apud quos mos invaluerat, ut, alter aquam funderet, alter formam pronuntiaret. Quare & tunc, pariter, ùt in re dubia, cum illis agendum est, utì & cum hæreticis Angliæ, quemadmodùm ex Sylvio aliisqué statuitur apud altè fatum Pontificem *loc. cit.* §. 8.

Ex supra recentis colligitur ⸗ qùod Invocatio Sanctissimæ TRINITATIS in hoc Sacramento, est *de essentia*, *tum* & in sequenti *tantùm*, nempe *Confirmationis* juxta multos, non item in aliis, quametsi adhibeatur, Novæ Legis Sacramentis.

§. 2dus.

§. 2dus
De Sacramento Confirmationis.

Ad Decreti III. partem *de Consecr. Dist. V.* Decretal. Gregor. *Lib. I. Tit. XV. de Sacra Unct. c. unic. §. Per frontis.*

QUoniam SACRAMENTUM Confirmationis est quodammodò annexum Sacramento Baptismi & habet aliqua communia cum illo, eò quòd in multis ei conveniat. idcirco nonnullis de Baptismo cognitis & intellectìs, ordine sequitur §. de Sacramento Confirmationis.

CONFIRMATIO est Sacramentum quo homo Viator baptizatus inungitur in fronte ab Episcopo, cum Chrismate & præscripta verborum forma, ad Fidei robur consequendum =. In hac definitione verba præcedentia descriptiva hujus Sacramenti habent locum *generis*, namqué plures *Unctiones* fiunt in Ecclesia cumOleo Sacro. 1*mò*. Unguntur *Pontifices*. dum consecrantur, in Capite & manibus cum Chrismate. 2*dò*. *Imperatores & Reges* cum Oleo catechumenorum in brachio & humero. *Reginæ* verò in humero tantùm; nisi sint Dominæ Regni. 3*tiò*. *Sacerdotes*. eodem Oleô catechumenorum in manibus dum ordinantur. 4*tò*. *Pueri baptizandi*. cum eodem Oleo in pectore & scapulis, & cum chrismate in vertice statim post Baptisma. 5*tò*. *Altaria & Ecclesiæ*. Oleô catechumenorum & chrismate. 6*tò*. Infirmi. Oleô infirmorum. 7*mò*. Quod est materiæ præsentis, = *Confirmandi* Chrismate Sacro. 8*vò*. *Calices & Patenæ* Sacro Chrismate. 9*nò*. *Campanæ*.Oleô infirmorum & Chrismate Sacro. 10*mò*. *Agnus DEI*. eodem chrismate Sacro. *c. unic. de Sacra unct.* At verò *ly* = præscripta verborum forma = *ad Fidei robur. &c.* sunt pro differentia, quæ videri potest apud Scholasticos, adeòqué patet qualiter nempe:

Materia remota hujus Sacramenti est *Chrisma*, non quodcunqué, sed solemni benedictione ab Episcopo consecrato & non tantùm electo consecratum, adeò: ut nisi talis sit Consecra-

ſecratio, non cenſeatur materia Sacramenti. *Chriſma* autem eſt Unguentum, ex oleo olivarum & balſamo confectum, requiritur *quod ſit novum* illius anni, ſiquidem præcedentis anni comburi debet, dum novum conſecratur. per *can.* Si quis de alio. *de Conſecr. D. ſt.* 4.

Solet eſse gravis controverſia, an balſamum ſit *neceſſarium?* ita: ut qui ſolo Oleo confirmaret, non verè confirmaret, an duntaxat neceſſitate *præcepti.* adeò ut peccaret mortaliter, qui omitteret. An tamen ſit neceſſarium *neceſſitate Sacramenti?* communis opinio tenet, quòd ſic: licètſi aliqui non minoris notæ DD. oppoſitum cenſent, & videtur iis favere. *c.* Paſtoralis. *de Sacra. non iteran.* ubi quidam confirmavit ſolo Oleo, absq; balſamo, & conſultus ſuper hoc dubio INNOCENTIUS III. dixit = *quod nihil iterandum erat, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat omiſſum.* Si non erat iterandum; ergo fuit ille verè confirmatus. Aſt: quamvis opinio iſta probabilis ſit, tamen ſecurior oppoſita, nam *Concilium Florentinum* in Decreto EUGENII IV. expreſsè habet = *Secundum Sacramentum eſt Confirmatio, cujus materia eſt Chriſma, confectum ex oleo, quod nitorem ſignificat conſcientiæ, & balſamo quod odorem ſignificat bonæ famæ, per Epiſcopum benedicto.*

Proxima hujus Sacramenti *materia* eſt Unctio, qua frons confirmandi *in modum Crucis* perungitur, absq; dubio neceſſaria neceſſitate Sacramenti, licètſi Apoſtoli ex Divina diſpenſatione ſola manuum impoſitione confirmarent. *can. Manus quoq; de Conſecr. Diſt.* 5. *d. c. unic.* §. *Per frontis. de Sacr. Unct.*

Forma Sacramenti Confirmationis eſt iſta: = *Conſigno te ſignô Crucis & confirmo Chriſmate ſalutis, in Nomine Patris, & Filii & Spiritûs Sancti, Amen.* ita *cc. DD. ex Florentino in inſtructione Armenorum*

Solus Epiſcopus eſt illius *Miniſter*, quod patet ex Actis Apoſtolorum *cap.* 8. ℣. 14. *& ſequ.* ubi refertur Petrum & Joannem miſſos fuiſſe Samariam, ut, iis qui baptizati fuerunt, Ma

nus

nus imponerent, & traderent SPIRITUM SANCTUM. Quare autem Philippus non imposuit? nisi ideo: quòd Episcopus non erat, sed tantùm Diaconus. Tum ex Concil: Trid. *Sess.* 7. *can.* 3. *de Confirm.* jam verò in Corpore Juris *can.* Presbyteris. *de Consecr. Dist.* 4. & *can.* Presbyteri. *ibid. mox sequ.*

Legitur tamen aliquando per *Apostolicæ Sedis Dispensationem* ex rationabili & urgente admodùm causa, simplicem Sacerdotem Chrismate per Episcopum confecto administrâsse Confirmationis Sacramentum. Unde in casu *extraordinario* non sufficit, si fiat à simplici Sacerdote *ex Commissione Episcopi*, bene verò *ex Commissione Papæ*, prout sic fecerat S. GREGORIUS Magnus scribens Januario *Episcopo Carapolitano*, perhibente hac de re testimonium *can.* Pervenit. *Dist.* 95. Concesserant item: NICOLAUS IV. URBANUS V. LEO X. similiter concessit pro Indis GREGORIUS XIII. referente *Pallavicino Lib.* 9. *Histor. Trid. cap.* 7. Quis verò tot Pontifices terminos à Patribus suis positos, transiliisse putet?

Subjectum est omnis & solus homo baptisatus; sive sit infans, sive adultus, Baptismus siquidem dedit nobis SPIRITUM SANCTUM ad purificationem peccatorum, & maximè *originalis*: ùt immediatè fuit dictum. Confirmatio verò dat SPIRITUM SANCTUM ad custodiam, tutelam, defensionem, robur, & Gratiæ Divinæ augmentum, ut illius præsidiò carni, mundo, diabolo, fortiter obluctari possimus. *can.* Omnes fideles. *de Consecr. Dist.* 5. *can.* SPIRITUS S. *sequ. ibid.* Adeòq; infantes constat per *duodecim* sæcula in utraqué Ecclesia Confirmationem recepisse mox cum Baptismo, quando aderat Episcopus. *can.* Novissimè. *de Consecr. Dist.* 5. Constat item plerosqué energumenos hujus susceptione Sacramenti curatos fuisse, quod etiam de puero lunatico refert S. Bernardus in vita S. Malachiæ. tum: quia apud Græcos hodie-dum datur infantibus Confirmatio, idqué sciente & olim approbante Sede Apostolica.

Episcopus, *regulariter*, eos tantùm, qui suæ Diœcesis sunt,

ſunt, confirmare: non alios, habet Juris, quamvis ſi confirmet, factum tenet. Unde nec *Archiepiſcopus* debet ſuorum *Suffraganeorum* ſubditos; quamvis eos viſitet, confirmare. *can.* Interdicimus. 16. *q.* 1. *arg. c* Omnis utriusqué ſexus. *de Pœnit. & Remiſs.* & tot. Tit. *de Temp. Ordinat.* item: *Tit. de Paroch. & alien. Parochian.*

Infantes; per Patrinos in Confirmatione tenentur in brachio dextro, adulti ponunt pedem ſuum ſuper pedem dextrum Patrini ſui. In quo viget adhuc conſuetudo Sanctæ Matris Romanæ Eccleſiæ & Eccleſiaſticarum Inſtitutionum, harum enim quasdam in ſcriptis, quasdam verò *Apoſtolica traditione* (inquit Baſilius *lib.* de SPIRITU SANCTO. *cap.* 27.) per Succeſſiones in Miniſterio confirmatas accepimus, quasdam ſola conſuetudine roboratas approbavit uſus. Atqué deinde: in his rebus nihil certi Divina ſtatuit Scriptura, mos populi DEI & inſtituta Majorum, pro lege tenenda ſunt; nam ſicut prævaricatores Divinarum Legum, ita contemptores Eccleſiaſticarum conſuetudinum coèrcendi ſunt, prout fuſiùs legere eſt in *can.* Eccleſiaſticarum. *& per tot. Diſt.* 11.

Etſi priſcis temporibus infantes confirmarentur, hodie hoc Sacramentum *regulariter* non expedit conferri, priusquàm rationis uſus eluceſcere incipiat, hoc eſt circa *ſeptennium*, non ſolùm ob periculum *reiterationis*, ſed multò magis ut orationibûs & mentis devotione poſſint confirmandi excitari ad Sacramenti venerationem.

Baptiſmus & Confirmatio conveniunt in hoc: qùod nimirum non iterantur. *can.* Dictum eſt. *de Conſecr. Diſt.* 5. *can.* Rebaptizare. *de Conſecr. Diſt.* 4. Ambo characterem imprimunt animæ indelebilem. ⁂ tum, qùod ambo conferuntur ſive conferri poſsunt tempore Interdicti, etiamſi impoſiti à Papa in aliquo loco. *c.* Reſponsô. *de Sent. Excom. c.* Quoniam in Baptiſmo. *eod. Tit. in* 6*to.* Plura declarant ſequentes. ⁂

RESO-

RESOLUTIONES CASUUM.

1. Tempore pestis, eo morbo affectis, non tenetur Episcopus hoc Sacramentum ministrare, quum hoc Sacramentum non sit absolutæ necessitatis. *fel. mem.* Benedictus XIV. *de Synod. Diœc. lib.* 13. *cap.* 19. §. 6. *nov. edit.*

2. In Confirmatione tempore pestis non potest fieri inunctio frontis mediante penicillo, nec sanè valeret, sic collata; quum ex consensu fere omnium Theologorum ad valorem requiratur aliqua manuum impositio, quæ, certè non fieret, cùm alio mediô qùam pollice, vel manu, frons confirmandi oleô liniretur. Idem. *ibid.* §. 77.

3. Non peccaret mortaliter Episcopus si omitteret dare alapam in Confirmatione, hæc enim datur solùm ob memoriam suscipienti: ne iteret hoc Sacramentum. *Clericat. cap.* 116. *n.* 25. *& cc. DD.*

4. Non incuritur *Irregularitas* per reiterationem Confirmationis, siquidem jus quò ad hanc pœnam infligendam expresse loquitur solùm de reiteratione Baptismi. Jam verò in *c.* Is qui in Ecclesia. *de Sent. Excom. in 6to.* cautum est, ut nemo ob aliquod crimen censendus esset irregularis, nisi hoc in Jure expressum sit.

5. Suscipiens, & Episcopus conferens hoc Sacramentum, etsi debeant esse jejuni. *can.* Ut jejuni. *de Consecr. Dist.* 5. Si tamen necessitas subsit propter Episcopum, ùt exempli causâ propter multitudinem confirmandorum; tum: si confirmandus sit infirmus & morte periclitans, sive aliâ causa impeditus, tunc non suberit ratio jejunii.

6. Sicut in Baptismo pro baptizandis solemniter; sic in Confirmatione & Catechismo pro confirmandis & catechismandis interveniunt Patrini, apud DEUM quasi fidejussores extituri, & eosdem in Religione hac vera orthodoxa instructuri. *can.* In Catechismo. *de Consecr. Dist.* 4. *can.* Vos ante omnia. *de Consecr. Dist. ead.* & quidem antiquo jure non poterant adhiberi plures, sed unus tantùm, sive vir, sive mulier. per *can.* Non plures. *de Consecr. ead. Dist.* Ex sanctione verò Sacrosancti Concilii

Triden-

Tridentini *Sess.* 24. *de Refor. cap.* 2. Ad summum unus & una. *c. Quoniam.* de Cogn. Spirit. in 6to.

7. Nullatenus possunt esse Patrini Parentes propriorum Filiorum. *c.* Si vir. *de Cognat. Spirit.* Sicut Abbates ac Monachi alienos, *de Sacro Baptismate* suscipere; sic & in *Confirmatione* tenere non debent. *can.* Non licet. *de Consecr. Dist.* 4. *can.* Placuit. 16. *qu.* 1. *can.* Pervenit. 18. *qu.* 2. ad hoc = ut Monachi sibi Compatres Commatresvé non faciant. *can.* Monachi. *de Consecr. Dist.* 4.

8. Tam Minister qùam suscipiens; quod intelligendum venit de adulto, debent esse *sine peccato mortali*, vel saltim *cum Contritione*, Ille; quia est Minister, & competit ei *ex Officio*, iste; quia opponeret obicem Gratiæ. *can.* Spiritus Sanctus. *de Consecr. Dist.* 5. D.Thom. 3. *par. qu.* 64. *art.* 6. *ad* 3. *argum.* Patrinus porro non tenetur ad hoc, verùm tamen si malè sit dispositus, facit *irreverenter*, qui ipse supponitur esse omnino non modò baptizatus sed & confirmatus, per *can.* In Baptismate vel in Chrismate. *Dist.* 4.

9. Quamvis Innocentius III. *c.* Cùm venisset. *de Sacra Unctione.* expressè hoc habet. = *Per frontis chrismationem manûs impositio designatur, quæ alio nomine dicitur Confirmatio: quia per eam* Spiritus Sanctus *ad augmentum datur & robur.* Adhuc tamen nequit certò definiri, an de Fide sit? utramqué Manuum impositionem, sive quæ *Unctioni* prævia est, sive quæ ipsi conjuncta est, *ad essentiam* Confirmationis pertinere. Cùm enim de hoc *Ecclesia* silet, *Fides* quoqué ipsa silere debet, utraqué quidem est in usu *Pontificalis Romani*, utraqué rité observanda est, quod postulat Religio, securitas, & Sacramenti reverentia, sed an utraq; hæc *impositio Manuum* Episcopi sit essentialis? nihil concluditur. Nisi qui velit, menti antiquorum esse conformis, illam Manûs impositionem quæ initiò Ritûs ab Episcopo fit, & tempore distincto ab unctione, ad *substantiam* Confirmationis pertinere; arbitrari.

§. 3tius.

§. 3tius
De Sacramento Sanctissimo Eucharistiæ.

Ad Decreti III. partem. *de Consecr. Dist. II.* Decretal. Greg. *Lib. III. Tit. XLI.* Clementinar. *Lib. III. Tit. XIV.* Extrav. Commun. *Lib. III. Tit. XI. c. unic.* in Septimo. *Tit. VIII.*

NIhil in Sacrificiis majus esse potest: quàm CORPUS & SANGUIS CHRISTI, nec ulla Oblatio hàc potior est, sed, omnes; una hæc præcellit, quæ purâ conscientiâ Domino est offerenda, & pura mente sumenda, atqué ab hominibus veneranda, & sicut prior cæteris, ita potiùs excoli & venerari debet. *can.* Nihil in sacrificiis. *de Consecr. Dist.* 2.

Definitur qùod sit: *Sacramentum* CORPORIS & SANGUINIS JESU CHRISTI, *quæ post Consecrationem veraciter sub speciebus Panis & Vini continentur, ad spiritualem fidelium alimoniam. can.* Multi sœcularium. 1. *q.* 1. *can.* Sacrificium. *can.* Nos autem. tum & mox sequenti. *can.* Ego Berengarius. qui quidem *Canon* continet *Formulam Professionis Fidei* sic incipientem à nomine ejusdem *Berengarii*, qui antequam in hæresim prolapsus esset, fuit Ecclesiæ Andegavensis Archidiaconus, ejurata dein hæresi actaqué pœnitentiâ; quievit in pace *Annô MLXXXVIII.* item. *can.* Fortè dicas. *can.* Panis est. & *can.* In illo Sacramento. *de Consecr. Dist.* 2.

In Sacramento Eucharistiæ seorsivè ac sub qualibet specie tam Panis qùam Vini: *quatuor* ista, realiter, physicè, continentur. 1*mô.* CARO CHRISTI, vera & viva. *can.* Non hoc Corpus. *de Consecr. d. Dist.* 2*da.* Secundò. SANGUIS CHRISTI, qui in Ara Crucis de Corpore Ejus profluxit. Tertiò. Anima CHRISTI, in qua omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI sunt abscondìti. Quartò. Divinitas CHRISTI, quæ ita CHRISTO fuit unita, ut nequé in Sepulchro ab Eo fuisset sejuncta. *can.* Semel Christus. *can.* Accesserunt. *de Consecr. Dist.* 2. *can.* Ante benedictionem. *ibid.*

Primò.

Primò. hìc notatu dignum, qùod quamvis in hoc Sacramento *duplex* Materia *partialis* ſit, ſic quoqué duplex *Forma* appareat, unicum tamen ſpecie cenſeri debet & eſt Sacramentum, tum ob unitatem *effectûs*, una enim ſub utrisqué ſpeciebus Gratia communicatur. *can.* Qui manducant & bibunt. *de Conſecr. d. Diſt.* 2. tum deniqué ob unitatem *finis*, unionem enim Eccleſiæ in CHRISTO per unitatem ſignificat. *ca*. Quia paſsus. *can.* Hoc Sacramentum. *de Conſecr.* ſæpe *d. Diſt.* 2.

Geminæ proinde ſpecies quæ *neceſſariò* oculis apparent in hoc Sacramento; non faciunt ſubſtantiæ diviſionem, CHRISTUS enim ſub alterutra tantùm ſpecie poſt Conſecrationem cum CARNE & SANGUINE totus atq; integer à Fidelibus ſumitur.

Materia remota duplex in hoc Sacramento ante Conſecrationem & prout *in fieri* ſpectata, *una eſt* Panis de tritico, cum aqua elemento naturali recenti & munda confectus, coctus & non frixus, azymus in Eccleſia Latina, fermentatus in Græca, *alia eſt* Vinum de vite cum modica aqua mixtum, ad denotandum dictam unionem populi cum CHRISTO, adeòqué omnes Catholici in hoc conveniunt, aquam admiſcendam eſse vino in Conſecratione, & hoc ex Apoſtolica Traditione ad imitationem CHRISTI, Quem id ipſum feciſse teſtantur Sancti: *Jacobus* & *Marcus* in ſuis Liturgiis. Horum ſubſtantia deinde mox poſt Conſecrationem Sacerdotis, virtute Divinorum verborum, ſecreta poteſtate & infallibili operatione in ſubſtantiam tranſit CARNIS & SANGUINIS CHRISTI. *c.* Firmiter. §. *una verò. de Summa Trinit. & Fide Cathol.*

Ex hoc colligere licet, qùod Sacramentum Euchariſtiæ non quidem *formaliter* & in ſpecie, *materialiter* verò ſive quodammodò *repræſentative*, eſt, plura Sacramenta. Sicqué aliquando plura illud vocat Eccleſia, ùt facit in Oratione poſt Miſsam = *Purificent nos quæſumus Domine Sacramenta quæ ſumpſimus.* &c. aſt ſtatim ſubjungitur in

ſin-

fingulari = *ut hoc Tuum Sacramentum non fit nobis reatus ad pœnam.* Sic etiam *Gelafius Papa in can.* Comperimus. *de Confecr. Dift.* 2. in plurali ait = *integra Sacramenta percipiant.* propter fpecies *Panis & vini* pro Sacerdotibus in Sacrificio. rurfus in fingulari in eodem *Canone* hæc habet = *unius ejusdemqué Myfterii.* propter unitatem nimirum *formalem & fpecificam* fignificationis *practicæ*, totalem & integram, quam habent dictæ fpecies.

Non obftat proindè unitati in fua fpecie hujus Sacramenti, qùod veteres vario refpectu & diverfa confideratione, Eucharistiam, modò unum; modò plura, compellâfsent Sacramenta. Plura namqué Sacramenta dici poteft, *materialiter*, propter varia fymbola & figna ex quibus conftat. Signum quippe *practicum* Gratiæ & Sanctitatis eft quodlibet & omne novæ Legis Sacramentum à JESU CHRISTO *Domino noftro* ad hoc *fpecialiter* inftitutum, ut illam fignificando caufet; viciffim caufando fignificet.

Proxima dein illius *materia* funt fpecies Panis & vini, fub quibus continetur CORPUS & SANGUIS CHRISTI *Domini. cit. jam can.* Quia pafsus. *de Confecr. Dift.* 2.

FORMA fimiliter duplex eft. *una Panis*, quæ eft hæc = HOC EST CORPUS MEUM. nam hæc particula *enim* efsentialis non eft, verùm conjunctionis habet locum, & ab Ecclefia fuit addita, *folus S. Matthæus* eam adhibet, idqué in Confecratione Calicis tantùm. *Matth.* 26. ℣. 26. apud Marcum *cap.* 14. ℣. 22. Lucam. 22. ℣. 19. *Alia eft vini* cum modica aqua in Calice, & eft hæc = HIC EST CALIX SANGUINIS MEI. de neceffitate Sacramenti. *c.* Cùm Marthæ. *de Celebrat. Miffar. & Sacramen. Euchariſt.* quando quidem: cætera omnia, five quæ præcedunt apud Latinos, five quæ fequuntur apud Græcos, qui, omittunt illa verba. *æterni* — *eft myfterium Fidei*, funt de neceffitate *præcepti* faltim ex communiori fententia.

MINISTER hujus Sacramenti conficiendi eft folus Sacerdos, ritè & legitimè ordi-

natus, non exiſtens in peccato mortali, & cui non eſt prohibitum celebrare. *can.* Tribûs gradibus. *de Conſecr. Diſt.* 2. *can.* Pervenit. *ibid. Diſt. ead.* Ita ut etiam diſpenſationis ſive adminiſtrationis hujus Sacramenti; Miniſter *Ordinarius* ſit Presbyter. *can.* Pervenit. *Diſt.* 93. eò, quòd à Diacono, præſente Presbytero; al as adminiſtrari non permittitur, niſi jubente;vel ſaltim ſciente, nequé hoc fieridebet niſi in neceſſitate. Aliis verò inferioribus Diaconò omnimodè prohibetur. *per can.* Præſente. *Diſt.*93. Contra ipſos Hæreticos, nugantes & ariolantes, omnes Chriſtianos in miniſtrandis Sacramentis, parem habere poteſtatem, quos juſto anathemate ferit Concilium Tridentinum *Seſs.* 7. *can.* 10. *de Sacram. in gen.*

Sacerdotes tamen peccato mortali vel minori Excommunicatione fædati & contaminati; à tanto Sacramento & ejus Oblatione ſe abſtinere debent, quia *quò ad ſe ipſos* ſunt ſuſpenſi. *c. fin. & ibi not. de Cohab. Cleric. & mulier.*

Suſceptor ſive ſubjectum Euchariſtiæ, eſt, omnis homo baptizatus ac diſpoſitus, præſertim in Paſchate quotannis ex præcepto Eccleſiæ, ex præcepto autem Divino aliquoties in vita. de quo *Joan.* 6. *ỷ.* 25. *Actor.* 2. *ỷ.* 42.

Tripliciter iſthoc à ſumentibus ſuſcipitur. Primò. *Sacramentaliter* tantùm, ſicut ſumunt peccatores. altero modo *ſpiritualiter* tantùm, ſicut illi qui votum & deſiderium habent illius, & participant de fructu, ſcilicet Gratia. Tertiò *utroqué modo.* Sumitur ab iis, qui dignè accedunt ad illud. *can.* Quid eſt? *de Conſecr. Diſt.* 2. *can.* Ut quid paras? *ibid. ead. Diſt.* Concilium Tridentinum *Seſs.* 13. *cap.* 8. & mox infra *can.* 8.

Directè ex hoc ſequitur, & manifeſtè patet, qualiter: Euchariſtiam indignè ſumens recipit Sacramentum; ſed non ejus effectum. *can.* Qui diſcordat. *de Conſecr. Diſt.* 2. quamvis in hoc Canone locò ejus effectûs, iſtius vivifici & admirabilis Sacramenti, *abſolutè* dicitur. = *nec manducat* CARNEM EJUS, nec SANGUINEM bibit.

Sed

Sed aliquomodò difcordat ifte locus, fiquidem ibi *in can.* Sicut Judas. dicitur: = quòd is, *licèt fi indignè fumpferit Euchariftiam, fumpfit adhuc* CORPUS CHRISTI.

Diverfimodè porro apud Fideles circa illius fufceptionem frequentatum fuit, namqué: circa prima Fidei cunabula *Viaticum* & fic Euchariftiæ Sacramentum frequentiffimè fumebant Fideles. *can.* Quotidie. *de Confecr. Dift.* 2. *can.* Si quotiescunqué. *fequ. ibid.* Poftmodùm charitatete pefcente rariùs fumebant etiam Viaticum fideles, idqué tribus vicibûs in anno communicabant, *in Pafcha videlicet & Pentecofte, & Natali Domini. can.* Etfi non frequentiùs. *de Confecr. Dift.* 2. *can.* Sæculares. *can.* Omnis homo. *de Confecr. Dift. ead.* Tandem: fic, ùt hodie, frigefcente penitus Religionis ardore, (*) femel faltim fingulis annis omnis Fidelis cujuscunqué fexus fumere hujusmodi *Auguftiffimum Sacramentum* tanquam Efcam fpiritualem, & convivium animæ in Pafchate fit adftrictus. *c.* Omnis utriusqué fexus. *de Pœnit. & Rem. fs.* quod ipfum comprobavit Concilium Tridentinum *Sefs.* 13. *de Sacram. Euchar. ibid. can.* 9.

Aft: ne modò apud *Theologos* Euchariftia *diverfimodè* fpectatur ùt *Sacrificium* & aliter ùt *Sacramentum*, verùm apud *Canoniftas* ùtroqué nomine venit, & aliquando Sacrificium vocatur, prout in allegato. *can.* Nihil in Sacrificiis. *de Confecr Dift.* 2. *can.* Qui bene non cuftodit Sacrificium. &c. *Dift. ead.* Prout de Sacrificio: fiquidem pauca hìc expofita funt, fupplebunt hac in materia plures & diverfæ.

* S. Bonaventura *in 4to Dift.* 12. habet = *in ftatu Ecclefiæ finalis*, apud quem tamen Ecclefia *finalis* non dicitur talis, eò: qùod hæc fenefceret, five adhuc fenefcit, *quod enim fenefcit, propè interitum eft.* juxta Apoftolum *ad Hebræ.* 8. *vers. ult.* Sed quia in ea longè minùs reperire fit ferveris, qùam fuevit in primitiva Ecclefia.

RESOLUTIONES CASUUM.

1. Graviter peccat Sacerdos *Latinus* non conficiens in pane *azymo*, facit enim contra consuetudinem & præceptum Ecclesiæ *in re gravi*, ùt colligitur ex *c.* Literas. *de Celeb. Missar. & Sacram. Eucharist.* Illi verò Græcorum pariter errant, qui usum Ecclesiæ Latinæ consecrandi in azymis carpunt & reprehendunt, quorum sententiam Leo IX. *Papa* appellat hæreticam.

2. Conficiens sub una tantùm specie committit grave peccatum Sacrilegii, ùt habetur in *can.* Comperimus. *de Consecr. Dist.* 2.

3. Sacerdos *cæcus* validè consecrat, Hostiam, quam coram se præstò habet, quamvis illam non videat, sed ei non est licitum consecrare, nisi à *Papa* Dispensationem habeat. *Ratio* resolutionis præsentis est, haud enim necesse ut materia actû videatur, verùm sufficit, ut sit præsens *moraliter* ad hoc, ut designetur per particulam, Hoc. ita *cc. DD.*

4. Non validè conficit Sacramentum Eucharistiæ Sacerdos qui omisso verbo = *est* = dicat = Ecce Corpus meum. namqué sublato verbô variatur significatio propositionis. Ista ergo pronomina: *Hoc & Hic.* in Consecratione, non demonstrant Corpus & Sanguinem Christi *distinctè*, sed *confusè* substantiam singularem sub speciebus contentam, eò: qùod verba formæ debeant significare id quod efficiunt, efficiunt autem, non, ut Corpus Christi sit Corpus Christi, sed ut Corpus Christi quod anteà erat substantia panis, sit Corpus Christi. *can.* Panis & Calix. *de Consecr. Dist.* 2.

5. Similiter non consecraret *validè*, qui diceret *Hoc est* Corpus Christi, siquidem verba *Consecrationis* debeant sumi *recitativè & significativè* simul, unde *recitativ* solùm loquendo; falsum diceret. quia CHRISTUS non est usus hâc forma. *Tum*: quia variatur sensus verborum, cùm hæc verba non proferantur in Persona CHRISTI, sicut proferenda sunt. ita *S. Thomas, in* 4. *Dist.* 8. *qu.* 2. *art.* 1.

6. Sacerdotes quoties extra Miſſam communicarent, tenentur ex præſcripto *Concilii Bracarenſis III. cap.* 3. induere ſtolam in modum Crucis, ad pectus, ſub pœna Excommunicationis. *can.* Eccleſiaſtica. *Diſt.* 23. Sed quamvis prædicta *Conſtitutio* videatur obligare ſub mortali, cùm transgreſſor illius puniri præcipitur pœnâ Excommunicationis, ad quam incurrendam requiritur utiqué peccatum mortale, nihilominùs hodie ſub onere *Excommunicationis* non obligat, quia non videtur ſic eſſe usû recepta, ac cum tanto onere, modò abſit contemptus.

7. Sacerdos qui in celebratione 1mæ Miſſæ *in Die Natalis Domini* ſumpſit ablutionem, aut lambendo digitos, aliquid aquæ aut vini transmiſit in ſtomachum; non poteſt illa die aliam Miſſam celebrare, quum verè dicatur jejunium naturale perfregiſſe, de quo expreſsè, cavetur in *can.* Nihil contra. 7. *q.* 1. in verbis ibi = *nullus poſt cibum potumqué quemlibet minimum ſumptum, Miſſas facere -- præſumat.*

8. Sacerdos qui in Vigilia Nativitatis Domini pranſus eſt, vel jentaculum ſumpſit propè mediam noctem, poteſt poſt mediam noctem celebrare, quamvis non dormierit, & cibum non digeſſerit, namqué, & ſic verè dicitur *jejunus* à media nocte.

9. Non jejunus poteſt in articulo mortis communicare, quamvis extet Præceptum Eccleſiæ, communicandi cum jejunio.

10. Innocentius XI. *Die* 2. *Martii Anno* 1679. damnavit hanc Propoſitionem = *Præcepto Communionis annuæ ſatisfit, per Sacrilegam Domini manducationem.*

11. *Materia inepta*, adeòq; validè confecrari *impotens* Calicis in Sacramento Euchariſtiæ eſt, *Vinetum* ſive *aquaticum*, in quo ſcilicet major ſive maxima eſt pars aquæ, ſuperinfuſa. *c.* Perniciofus. *de Celebrat. Miſsar. & Sacram. Euchariſt.* quamvis *ordinariè* tale vinum inter vina *operaria* numeretur, dicitur enim *lora*, quaſi *lota*, quia eſt aqua, cum aqua vinaceæ ablatô muſto lotæ.

12. Secundùm communem *Theologorum & Caſuiſtarum* ſen-

Sententiam; non est licitum celebrare absque lumine, quamvis immineret necesse consecrare, *ut in exemplo* sit addandum *Viaticum* moribundo, & si, lumen deficeret incepta sive inchoatâ Missa ante Consecrationem, non est prosequenda ulteriùs Missa, quia magna fieret irreverentia Sacramento, si consecraretur absque lumine. Sic etiam in conservatione Ejusdem diem aut noctem integram, absque lumine, offenditur graviter Cultus Divinus, consuetudo Ecclesiæ, ac lex *Canonica* imposita. *c.* Sanè cùm olim. *de Celebrat. Missar. & Sacrament. Euchar ist.* necnon in Rituali Romano, & sic contrahitur culpa lethalis, ùt in puncto tenent multi & graves; quibus adstipulantur alii non pauci; Authores. Et quoniam: *ubi culpa est, ibi pœna esse debet. c.* Romana. *in fin. de Senten. Excommunic. in 6to.* quæ & quanta esse debeat pœna quâ mulctandus erit Parochus prædictus *in foro Fori sive externo?* arbitrari eam poterit Episcopus, secundùm majorem vel minorem negligentiam.

13. Lumina quæ adhiberi debent, non possunt esse ex sævo, vel oleo, hoc enim fieret contra ritum universalem Ecclesiæ, ùt docet *gl. in c.* Literas. *finale. de Celebrat. Missar. & Sacram. Eucharist.* ac correspondet figuræ ignis illius, de quo *Levitici cap.* 6. pluries meminit Scriptura, & qui est in Altari DEI, Optimi, Maximi. Totum hoc meliùs liquet ex supra citato. *c.* Literas. *de Celebr. Missar. & Sacram. Eucharist.* ubi Honorius III. *Pontifex.* Presbyterum qui sine igne & aqua sacrificat, Officiô & Beneficio perpetuò privari jubet.

14. Non bene se gerunt illi Sacerdotes, qui, futiliter, timentes non ritè consecrare; tali vî proferunt verba Consecrationis, ut etiam capitis motû quodcunq; verborum velint associare, quod certè non reverentiam adstantibus sed admirationem; quandoqué etiam risum posset excitare — tum, quasi ex adverso, ii, qui nullam animi pietatem ac reverentiam in Sacrosanctis verbis pronuntiandis exprimunt, & dum Nomine CHRISTI loquuntur,

tur, non majorem extendunt reverentiam, ac, si, de profano aliquo negotio loquerentur, ex alio item capite, non pauci Sacerdotes deficiunt, dum Consecrationis verba elata fere voce exprimunt, contra Ritum Ecclesiæ.

15. Calix, Patena, & alia ornamenta quæ immediatè attingunt CORPUS CHRISTI, ùt est Pala & Corporalia, non possunt tangi à laicis, absqé peccato. *can.* Sacratas. *D. st.* 2. Imò nequé Clerici solent hujusmodi vasa tangere, nisi speciale ad hoc Privilegium habeant. Ex eoqué colligi etiam potest, jure optimo in *can.* Nemo per ignorantiam. *de Consecr. Dist.* 1. Sancitum esse, ut Corporalia laventur à Diacono, & lotio mittatur in Piscinam Sacram, ne fortè (ùt ibi dicitur in textu.) *pulvis Dominici Corporis malè decidat*, hoc tamen intelligitur quò ad primam lotionem, nam quò ad secundam: probabile est, eam, fieri posse etiam à fœminis præsertim virginibus, sicut etiam à fœminis refici possunt.

16. Ob extraordinariam necessitatem multi DD. existimant Sacerdotem posse bis in die celebrare. *c.* Consuluisti. *de Celebrat. Missar. & Sacram. Eucharist.* modò sit jejunus, nec purificaverit in prima Missa. *c.* Ex parte. *cit. Tit. de Celebr. Missar.*

17. Quametsi particulares moneant Rubricæ, ut ante *Offertorium* aperiatur pixis, in qua sunt formulæ consecrandæ, verùm apertio isthæc non est necessaria necessitate Sacramenti, imò vix forsitan Præcepti.

18. In casu miraculi: quo appareat in Eucharistia puer, vel aliud simile, & dum adhuc permanerent species Sacramentales, veluti: si Panis substantia esset, & quando mutatio hæc esset tantùm in concomitantium oculis & solo colore; permanet ibi CORPUS CHRISTI; quando verò appareret in forma pueri, seu carnis, & ab omnibus sic videretur, nec species: visu vel tactû sive alio sensu percipiantur, probabilius videtur, non esse ibi CORPUS CHRISTI, id tamen quod sic appareret; non esse consumendum à

cele-

celebrante, sed reservandum, nec opus est: ut alia consecretur Hostia ad communicandum.

19. Qui in eadem Missa *successive* recipit plures Hostias, non recipit majorem Gratiam *ex opere operato*, quàm si unam tantùm reciperet, nec qui recipit simul Hostiam & de Calice bibit, quàm qui solam Hostiam, nisi fortè per accidens, *ex opere operantis*, eò, quòd si suscipiens, plures hactenus eliciat Actus Virtutum *Theologicarum*, disponentes ad majorem Gratiam, quando tunc Hostiam diutiùs retinet in ore, sive: in continuanda sumptione.

20. Non licet dare Hostiam non consecratam pro consecrata, nisi ob vitandum grave scandalum, cum peccatoris consensu, & maximè: quatenus sine idololatriæ periculo.

21. Major discretio ætatis requiritur ad communicandum quàm confitendum; quæ spectat ad prudentiam Parochi præsertim, sive alterius Confessarii.

22. Si Sacerdos æger decumbat, & illi afferat *Diaconus* Eucharistiam, ob Sacerdotis defectum; debeat Sacerdos illam propriis manibûs de Patena reverenter sumere.

23. Qui futurum esse certò atque prudenter prævidet, ut non possit *in Paschate* communicare, non tenetur prævenire Communionem ex vi Præcepti *Ecclesiastici*, in articulo verò mortis tenetur; ex vi Præcepti *Divini*.

24. Ministrans Hostiam, non consecratam locò Consecratæ, ad vitandum Sacrilegium suscipientis, immane *Sacrilegium* committit, quia exponit creaturam adorandam pro Creatore, unde potiùs excusanda prudenter administratio Communionis, eam, sic petenti.

25. Insano atq; phrenesi jam correpto, qui ante insaniam desiderium significavit accipiendi Eucharistiam, poterit ei administrari, quòd si non timeatur irreverentia vel dilaceratio, ad quod experiendum, potest dari Hostia non consecrata ante ipsammet Communionem.

26. Cùm grave damnum timetur, poterit Judex Reo negare tempus ad recipiendam Eucha-

Euchariftiam, & ftatim poft factam peccatorum fuorum Confeffionem: fententiam exequi.

27. Si reus Sacerdotem qui abfconfam Euchariftiam defert, pro defenfione fui amplexaretur, liber à fupplicio maneret, & Ecclefiæ efset tradendus.

28. *Sanctiffimæ Euchariftiæ Sacramentum;* ad infirmum: de quo notum fit, qùod ob tuffim, five alium defectum non valeat illud fumere, non erit deferendum *ex caufa hac fola;* ut illud devotus adoret, nec etiam eft deferendum fub fpecie Vini, quando infirmus non poffit deglutire fub fpecie Panis, concordant in hoc omnes fere, *Claffici Authores.*

29. *Uva vinacea* five botrus vini, non poteft confecrari, nam uva potiùs comedi confvevit: qùam potari & bibi, pro materia autem iftius Sacramenti à CHRISTO Domino inftituta fuit res potabilis, nempe Vinum de vite prefsum: quod patet ex *can.* Dicimus. *de Confecr. Dift.* 2. tum à fimili de mafsa farinæ, quæ, utiqué non eft apta & fufficiens materia ad Confecrationem CORPORIS, eò, qùod non fit *materia ufualis*, tum & ex illis verbis CHRISTI = *Bibite ex hoc omnes. Matt.* 26. ℣. 27. = & illis *Lucæ* 22. ℣. 17. *Et accepto Calice gratias egit: & dixit = Accipite & dividite inter vos.*

30. Qui ex decem Hoftiis præfentibus vult folùm confecrare novem, non defignando quam excludere intendit, nullam confecrat. Similiter nihil confecrat, qui mediam folùm tertiamvé Hoftiæ partem confecrare vult, non determinando quam confecrare velit, & quam nolit.

31. Corporale ad Miffam celebrandam *graviter* neceffarium eft, illudqué lineum effe debet, ex præfcripto *Canonis* = Confultò omnium. *de Confecr. Dift.* 1.

32. Particulæ quæ ad Altare offeruntur pro Communione laicorum, debent in Altari adeffe ad primum Offertorium, videntur enim ad idem Sacrificium pertinere ad quod pertinet Hoftia grandior, ficut autem Hoftia grandior, debeat effe ante primum Offertorium, ita etiam adeffe debent particulæ, five for-

formulæ pro Communione laicorum. Ita præscribit Rubrica CLEMENTIS VIII. de defectibus Celebrationi occurrentibus. *cap. 3. n. 4.* contra nonullos, quos refert *Possevinus cap. 2. n. 27. & sequ.*

33. Imò etiam non erit valida *Consecratio* si Sacerdos intendat eas hostias, aut illam, Hostiæ partem consecrare *quam DEUS intendit*, namqué sic Sacerdos non dicitur habere intentionem & materiam humanô modo determinatam, nec potest distinguere materiam consecratam, ab ea, quæ non est consecrata.

Pro fine: *advertendum hic* = duplicem Oblationem in Missa contingere. *Prima* contingit quæ est præparatoria ad sequentem, quando nimirum offertur Panis, ut fiat CORPUS CHRISTI, quæ est mera ad Sacrificium præparatio. *Secunda.* quando post Consecrationem & facta Elevatione offertur Ipsum CORPUS CHRISTI, dum Sacerdos prosequitur per hæc verba. = *Unde & memores &c.* Ipsam quoqué Consecrationem dupliciter posse considerari. 1mò. quatenus per eam fit præsens CORPUS & SANGUIS CHRISTI sub Speciebus, in qua ratione *præcisè* sola non consistit Sacrificii essentia, sed Sacramenti. 2dò. potest considerari quatenus per Consecrationem repræsentatur Passio & mors CHRISTI DOMINI, per Panis scilicet Consecrationem CORPUS, & per Vini Consecrationem SANGUIS, separatim à CORPORE mysticè repræsentatur, per quod tamen: quotidianum Sacrificium non reiteratio est Passionis CHRISTI, sed Commemoratio, sicut Ipse præcepit = *Hoc facite in meam commemorationem. Lucæ 22. ℣. 19.* tum quia: infirmitate peccati adhuc in carne remanente; quotidie labimur, quotidie CHRISTUS pro nobis mysticè immolatur: referente sic *can.* Iteratur quotidie. *de Consecr. Dist. 2. per totum.* ideoqué *spiritualiter* magis quàm *corporaliter* CORPUS CHRISTI debemus accipere. *can.* Panem cœlestē. *de Consecr. d. Dist. 2.*

Discusso tam Baptismi, quàm Confirmationis & Eucharistiæ negotiô, restat modò ut verba ulteriora dirigantur ad Sacramentum *Pœnitentiæ.*

§. 4.

§. 4tus
De Sacramento Pœnitentiæ.

Ad II. partem; Caus. *XIV. qu. V. & sequ.* ejusdem partis *XXVI. qu. VII.* de Pœnit. *Dist. I. II. III. IV. V. VI. VII.* Caus. *XXXIII. qu. V.* Canones Pœnitentiales *in fine* Decreti, Decretal. Greg. *Lib. V. Tit. XXXVIII. de Pœnit. & Remiss.* In Sexto; Clementinar; Extrav. Commun. *Lib. V. Titulos seorsivos eosdem.*

QUartum SACRAMENTUM est Pœnitentia, ficuti enim contingit in vita *corporali:* quòd quandoqué quis infirmatur, et, nisi habeat medicinam; moritur, ita & in vita *spirituali* quis infirmatur per peccatum, unde neceffaria eft medicina, ad recuperandam fanitatem, & hæc eft *Gratia*, quæ confertur in Pœnitentiæ Sacramento.

Pœnitentia *ùt virtus* & quatenus eft in *Lege Gratiæ Sacramentum*, multoties in Sacris Canonibus defcribitur, ùt in *can.* Ecce nunc tempus. § *fin. de Pœnit. Dist. 1. can.* Pœnitentia. *h. Tit. Dist. 3. can.* Pœnitentia. *ibid. ead. Dist.* Altero modo fpectata definitur apud Sotum *in 4. Dist. 14. qu. 1. art. 1.* & alios Thomiftas. = *Sacramentum remittendi peccata post Baptismum commissa.* five clariùs: = *Sacramentum, quo, ei, qui post Baptismum deliquit; si pœniteat & confiteatur peccata sua: remissio peccatorum per Absolutionem Sacerdotis confertur.* Rurfus ab aliis. = *Sacramentum à CHRISTO DOMINO institutum, quo per Juridicam Sacerdotis Absolutionem: homini contrito, confesso, & satisfactionem spondenti, remittuntur peccata post Baptismum commissa.*

Ex fuo genere *triplex est*, *Solemnis.* quam Epifcopus in capite Quadragefimæ fervata certâ rerum ferie & forma, delinquentibus folet imponere, propter peccata eorum enormia, de hac fatìs clarè & breviter omnia collecta habentur: *can.* In capite. *Dist. 50.* Alia *publica* quæ publicè nulla fervata juris folemnitate de qua in *d. can.* In capite. præfertur; à Sacerdote pœnitenti injungitur peragenda, & cùm *manifesta* peccata non fint *occulta* correctione purganda;

rectè hujusmodi imponuntur pœnitentiæ, per *can.* Si quis vivente. *31. qu. 1.* *Tertia* est pœnitentia *privata* sive *secreta*, quæ quotidie imponitur, cùm quis peccata sua Sacerdoti *sacramentaliter* confitetur. *can.* Si peccaverit. *2. q. 1.* quæ in occulto DEO fit, & Sacerdoti: tanquam DEO, & Ejus Ministro. *can.* Presbyteri de occultis. *26. qu. 6.*

Ex ipso Pœnitentiæ *vocabulo* patet, est enim quædam ⸗ *pœnæ tentio.* ⸗ *materiam remotam* Sacramenti Pœnitentiæ esse peccata, prout virtute illius diluenda ⸗ *Proxima verò.* quia debet esse quidpiam quod circa peccata versetur, sicut Medicina circa morbos; ⸗ talis *Materia* sunt *Actus* ipsius Pœnitentis, qui consistunt: in *cordis* Contritione, *oris* confessione, & *operis* satisfactione. *can.* De pœnitentibus. *de Consecr. Dist. 3.* ⸗ In pœnitentia namqué *tria* debent esse. *Contritio.* quæ est dolor de peccato commisso cum proposito abstinendi. *Confessio* peccatorum cum integritate, & satisfactio quæ fit per bona opera. Namqué perfecta Pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter suffere, in corde proin *Contritio*, in ore est *Confessio*, in opere tota *humilitas* & *satisfactio*, hæc est *fructifera* Pœnitentia!

Sola jam verò *cordis* Contritione, & *secreta* satisfactione, absqué Confessione *oris*, si non adsit omnino facultas illius implendæ *in re*: tunc saltim *in voto. can.* Quis aliquando. §. Votum pro opere. *Dist. 1.* non potest Christianus DEO satisface-re, *can.* Petrus doluit. & *sequentib. per tot. Dist. 1. de Pœnit.* Sacerdos quippe quem judicat; DEUS judicat, Cujus, is, Personam in Ecclesia gerit. *can.* Sceleratior omnibus. *de Pœnit. Dist. 3.* ⸗ Unde peccata semel verè dimissa non redeunt simpliciter & absolutè, ⸗ quod ipsum confirmat *fel. mem.* BENEDICTUS XI. *Extrav. 1. de Privil.* in hæc verba ⸗ *Absurdum: quod per pœnitentiam dimissa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor adhuc ad solvendum remaneat obligatus.*

Ex modò primùm recensitis, ⸗ *triplex* colligitur in genus fuisse, *1ma. Mentalis*, quæ est recognitio peccati coram DEO in

corde

corde, quæ fuit tempore *Legis naturæ*, scilicet statim post peccatum Adæ. 2da. *Cæremonialis* Confessio, scilicet quod peccans tali peccatô offerebat tale Sacrificium, & peccans in alio peccato offerebat aliud, & hæc fuit *in Lege Mosaica*. *Tertia* Confessio quæ est præsentis tractationis *Sacramentalis*, quæ fit Sacerdoti, requisita de necessitate salutis, triplici ratione. 1mò. Ex CHRISTI *Institutione*, Qui eam bifariam instituit = *implicitè*, & *explicitè*. *Implicitè* in figura, dum dixit leproso *Matt.* 8. ℣. 4. *Vade ostende te Sacerdoti.* *Explicitè*. dum dixit *Joan.* 20. ℣. 23. quando summo cum apparatu dedit Apostolis potestatem remittendi vel retinendi peccata = *Accipite* SPIRITUM SANCTUM *quorum remiseritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Ibi enim Sacerdotibus potestas judicandi & remittendi conceditur, quæ requirit manifestationem de ipsis peccatis, quæ est Confessio, quibus enim datur potestas judicandi de aliqua Causa, datur eis potestas cognoscendi de illa, nullus autem potest judicare & esse bonus Judex, de iis, quæ ignorat. Sacerdos similiter non potest cognoscere sufficienter facta Conscientiæ peccatoris, nisi ipsa peccator ei per Confessionem aperiat, & sic CHRISTUS Confessionem *Oris* instituit. 2dò. Ex DOCTORUM & Scripturarum *testificatione* Confessio Sacramentalis est necessaria, sic Ambrosius *in Lib. de Paradiso cap.* 14. quod ipsum est in *can.* XXXVIII. *de Pœnit. Dist.* 1. *Non potest quisquam justificari à peccato, nisi antè fuerit peccatum confessus:* & hoc loco: *can. XLI.* Joannes Chrysostomus = *Non potest quis Gratiam Doni Cœlestis accipere, nisi priùs purgatus fuerit ab omni sorde per Pœnitentiæ Confessionem.* Augustinus *ex Lib.* 50. *Homil.* 49. *de Pœnitentia in can. XLIV.* ùt *supra*, *Dist.* 1. relatus = *Agite Pœnitentiam qualis agitur in Ecclesia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo dicat sibi, occultè ago, apud DEUM ago, novit DEUS, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est: Quæ solveritis in terra soluta erunt & in cælo? Ergo sine causa Claves datæ sunt Ecclesiæ DEI?* ac si ipse sibi respon-

respon-

respondet: *non.* & infra hic *can.* XLIX. S. LEO *Papa Theodoro Forojuliensi Epist.* 89. *al as* 91. = *Multiplex Misericordia DEI ita lapsibus subvenit humanis, ut non olim per Baptismi Gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam, spes vitæ reparetur æternæ: ut qui regenerationis donum violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent: sic Divinæ Bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia DEI; nisi supplicationibus Sacerdotum: nequeat obtineri.* Idem post pauca - *Non remanet in judicio condemnandum, quod fuerit Confessione purgatum.* 3tiò. Ex Ecclesiæ *præceptione*, ubi Confessio Sacramentalis est necessaria, quia Ecclesia præcipit, quòd semel in Anno quilibet postquam ad annos discretionis pervenerit, debeat Sacerdoti proprio omnia peccata sua confiteri. *d. c.* Omnis utriusq; sexus. *de Pœnit.* & *Remiss.*

FORMA hujus Sacramenti sunt verba Absolutionis, dum Sacerdos dicit = *Ego te absolvo* = juxta multos: *Absolvo te.* haud enim omnino requiritur vox = *Ego*: quia satis in verbo = *absolvo.* includitur, nec vox = *à peccatis tuis.* quia vox = *absolvo* = licèt in Censuras etiam cadere possit; ex prævia peccatorum accusatione: determinatur ad peccatorum remissionem.

MINISTER solus Sacerdos. Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 6. *de Ministro hujus Sacram.* Porro non sufficit Sacerdoti Potestas *Ordinis* ad hoc ut validè absolvat, sed necessaria est Potestas *Jurisdictionis*, ex *cod. Trident. Sess. ead. cap.* 7. ubi dicitur: nullius momenti esse *Absolutionem*, quam Sacerdos profert in eum in quem non habet Ordinariam aut delegatam jurisdictionem. Supponit ergo aliquem posse esse Sacerdotem, & tamen carere debita & plena Potestate remittendi peccata, non quidem *Ordinis*; quia Potestas Ordinis confertur in ipsa *Ordinatione*, verùm *Jurisdictionis*: quæ per extrinsecam Concessionem confertur. Est autem jurisdictio *à jure dicendo* nomen sortita = *Potestas de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, vel æquitatis statuendæ.* Duplex constituitur *à DD.* altera *Ordinaria*, altera *delegata*, utraque in hoc Sacramento exercetur** *voluntaria.*

Reliqua scitu opportuna dabunt pro materia moderna RESO-

** Cum *Canonistis* huic loco accomodè servire notant DD. ea, quæ in *Decretalibus* Juris Pontificii c. Quia quæsitum est. c. Prætereà. *de Offic.* & *Potest. Jud. deleg.* Similiter in c. Ecclesiarum. *de Offic. Judic. Ordin.* pro Foro *contentiose* expressa esse dignoscuntur. Navarr. *Consilior.* Trullench. *Prax. Resolut. Sacramentor. h. Tit.*

RESOLUTIONES CASUUM.

1. ABSOLUTIO dari non potest *in scriptis*, aut alio signo, quod patet ex Concilio Florentino *in Decreto Unionis Armenorum*, ubi dicitur. = *Sacramenta constare rebus & verbis* = jam verò *in specie*: de Forma Sacramenti Pœnitentiæ memoratum *Concilium* hæc habet = *Formam hujus Sacramenti esse verba Absolutionis, quæ proferuntur à Sacerdote* = cùm dicit = *Ego te absolvo.* = tum ex Conc. Tridentino *Sess. 14. cap. 6.* ubi dicitur Absolutionem esse adinstar *actûs judicialis*, quo à Sacerdote, velut à Judice Sententia pronuntiatur: Aliud porro est & ab hoc diversum, quòd Confessio fieri possit aliquando per nutus & signa.

2. INNOCENTIUS XI. *die 2. Martii. Annô 1679.* damnavit hanc propositionem. = *Licet Sacramentaliter absolvere dimidiatè tantùm confessos, ratione magni concursûs Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus Festivitatis vel Indulgentiæ.*

3. Absolutio si breviter interrumpatur, ùt in exemplo dicendo: = *Ego te* = (claude januam.) *absolvo*. est *moraliter* continuata, quia est parva interruptio, cavendum tamen omnem, & quamcunqué minorem: vix posse tolerari.

4. Saltim sub conditione *licitè* potest absolvi, is, qui nullum signum doloris dederit in casu mortis repentinæ instantis, quia potest credi: quòd de peccatis pœnituerit homo fidelis & Christianus, quam opinionem videtur *in praxi* sequutus fuisse CLEMENS VIII. *Papa*, qui cùm quendam hominem è fabrica S. PETRI cadentem cerneret, *Absolutionem* ei dedit, dicens = *Si es capax, absolvo te à peccatis.*

5. At verò si quis spontè accedit, sine ullo dolore & peccati detestatione; tunc iteranda est Confessio, nequé enim Confessio est sed *historia*; imò aliter sentientes *Anathemate* ferit Concil. Triden. *Sess. XIV. de Pœnit. Sacram. can. 4.* In his enim & aliis hujusmodi casibus: meritò dicitur cum S. Gregorio. *Confessionis verba quid sunt aliud? nisi folia, vera porro pœniten-*

tentia, non ex foliis, sed ex fructibus pensari debet.

6. Absolutio à peccatis dari non potest Excommunicato; nisi priùs absolvatur ab Excommunicatione. *c.* Inter cunctas. *jam citati* BENEDICTI XI. *de Privil. Tit. VII.* Extrav. Commun. *Lib. V.*

7. Probabilius est, imò juxta *Pontasium absolutè* non danda *Absolutio* Sacramentalis: fœminæ; quæ, licèt cum amasio suo duobus annis non peccet, ab eo identidem invisitur, literas ejus lubens recipit, & tabellam ejus conservat, quod spectat ad occasiones peccati, quas ex prava consuetudine deponere non vult.

8. Confessarius: qui dubitat fore: ut infirmus morte corripiatur, & decedat sine Absolutione, potest talem infirmum audito uno peccato antequam perficiat integram Confessionem absolvere, & deinde reliqua audire, ut Confessio fiat integra; quantùm fieri potest.

9. Idem dici potest, quando infirmus fatigatur in explicatione peccatorum, dum verò tunc Sacerdos inter audiendum Confessionem infirmi prævidet eum morte corripiendum, sive similiter timet, & se, ipsummet Sacerdotem; morte præoccupandum; antequam Pœnitens omnia peccata sua mortalia explicet.

10. Si quis mala valetudine vexatus, Pœnitentiam petierit, & Sacerdotem vocari ad se curaverit, atqué postmodùm Sacerdote vocato ad ipsum ægrotum properante, oppressus ulteriori invalescente morbo & infirmitate obmutescat, vel in phrenesim conversus, non valens sua confiteri & propalare peccata Sacerdoti, sic permanserit: *vi voti* saltim *interpretativi* faciendæ Confessionis Sacramentalis: Absolutionem & reconciliationem consequitur. *can.* Qui recedunt. *can.* Is qui. *can.* His qui. *can.* Si aliquis. *can.* Si Presbyter. *can.* Agnovimus. *can.* Presbyter. *26. qu. 6.*

11. Ast non solùm ægrotis Sacramentum Pœnitentiæ conceditur, verùm etiam ultimò damnatis supplicio. *Clem.* Cùm secundùm. *de Pœnit. & Remiss.*

12. Medici ab ægrotis vocati præ cæteris omnibus admonere & inducere debent ipsos

ad vocan-

ad vocandum Sacerdotem, & sic ad Confessionem, ex quo etiam sequatur, & sit, quòd consultò & proviso ipsis de Medico Spirituali pro salute animæ, salubrius remedium medicinæ corporalis eis contingat & prosit, namqué infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato provenit, Teste DOMINO apud Joannem *cap.* 5. ℣. 14. = *Ecce sanus factus es : jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* = quod expressè perhibetur in *c.* Cùm infirmitas. *de Pœnit. & Remiss.* & juxta sensum Abbatis *in d. Capitulum* scribentis in hæc verba = *ex aliis causis potest contingere infirmitas.*

13. Si quis autem Medicus non observaverit quod immediatè dictum est, ab Ecclesiæ ingressu arcebitur per Sententiam duntaxat Judicis; non ipso Jure. *c.* In pœnis. *de R. J. in 6to.*

14. Peccatis *occultis*, non est injungenda Pœnitentia *publica*, non ita: quia frangatur *Sigillum Confessionis*, prout aliqui Doctores censuerunt, cùm de consensu Pœnitentis injungatur & acceptetur, verùm: quia sine sufficienti causa periculo exponitur *fama Pœnitentis.*

15. Episcopus aut Parochus potest absolvere suos subditos, inventos, vel secum ductos *extra Diœcesim*, quia jurisdictio quæ absqué strepitu Judicii exercetur, potest extra proprium Territorium & Diœcesim exerceri, arg. tex. *c. ult. de Offic. Legat.*

16. Si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum eligere Confessarium, ille, quem is elegerit, in Casibus qui eidem Episcopo specialiter reservantur, nullam penitus habet potestatem, eò, qùod in generali concessione illa non veniant, quæ, non esset quis verisimiliter concessurus. *c.* Si Episcopus. *de Pœnit. & Remiss. in 6to.*

17. Pœnitens potest non manifestare peccatum, quando ex illius manifestatione; sibi, vel alteri: probabiliter timet morbum corporalem, aut spiritualem. = Quamobrem si fœmina confitendo peccatum timeat Confessarium scandalizandum, aut se ab eo solicitandam, tenetur abstinere à Confessione talis peccati, donec habuerit copiam alterius Confessarii, aut si non speret fore ut brevì adventurus sit Confessarius, à quo non timeret hæc incommoda.

18. Ad Contritionem tenentur non solùm periculosè ægrotantes, sed & milites ante pugnam, nautæ ante procellosam navigationem, prægnantes ante *puerperium*; saltim *difficile*.

19. Communis *Theologorum* sententia est, quòd Confessarius nactus Pœnitentem non satìs paratum, tenetur examinare illum & proponere ei species peccatorum ab ipso quidem *probabiliter* commissorum, ut ea reminiscatur & confiteatur. Quæ obligatio Confessariorum interrogandi Pœnitentes potissimùm *ad rudes & idiotas*, non bene paratos pro facienda Confessione Sacramentali extenditur. *per can.* Qui vult confiteri. §. Caveat Spiritualis Judex. ≟ *verbô* ≟ diligens igitur inquisitor. *de Pœnit. Dist. 6.*

20. Si quis scit duntaxat ex Confessione, *Excommunicatum*, vel sibi inimicum, non debet propterea ipsum vitare, nequé acerbum vultum: sive acerbiorem qùam antè faciem ei ostendere, ac nihil prorsus agere, tale, propter quod possit Pœnitens retrahi, quinimò taliter se debet erga illum gerere Confessarius, ac si nihil de eo unquam audìsset, nisi fortè aliunde hoc sciat, in Confessione namq; *Sacramentali* scit peccata Pœnitentis ùt DEUS. *c.* Si Sacerdos. *de Offic. Judic. Ordin.*

21. Revelans quocunq; modo, etiam *indirectè*: Confessionem, peccat *mortaliter*, agens nimirum per hoc contra Legem Divinam & humanam, qui, si est Sacerdos, debet deponi. *can.* Sacerdos. *de Pœnit. Dist. 6.* tum & aliis pœnîs plectendus est. *d. c.* Omnis utriusqué. *de Pœnit. & Remiss.* Laicus autem qui aliquid inscio confitente audierit; revelans, dùm si convincitur, pœna arbitrariâ ab Episcopo puniendus erit.

22. Ad *Sigillum Confessionis* obligantur Superiores, exempli causâ; *Religionum*, seu quivis alii, quibus nempe Confessarius aliquid in Confessione auditum aperuit, eo duntaxat fine: ut ab iis Facultatem absolvendi à reservatis obtineret, jam enim quivis eorum in hac parte gerit vices Confessarii, cùm ad ipsum Causa deferatur, tum ≟ quia: *Res, ad quemcunqué perveniat; cum suo transit onere. can.* Pastoralis.

de Deci-

*** Resolutio sub N. 1. hic data non modò de *liceitate* verùm etiam circa *validitatem Absolutionis*, procedit de *sola Sacramentali*; Absolutione nempe à peccatis, ùt ibi: non item de Absolutione *à Censuris*, quæ conferri potest absenti, quandoqué eô inscio, & quamvis existat in peccato mortali. *juxta* Navarrum *cap. 26. n. 14.* Suarez *& alios.*

de Decimis. tum = quia alias Confessio redderetur odiosa, eam siquidem Instituens CHRISTUS voluit esse maximè *Charitativam*, atqué efficaciter ab omnibus frequentari.

23. Judex qui legit repertam papyrum in qua descripta continebantur peccata Pœnitentis; non potest de hujusmodi peccatis inquirere, sed debet ea perpetuô silentio tegere, nisi fortè aliud vix postulet commune Bonum, namqué: & *naturale* secretum, & reverentia Sacramento tùm, & reverentia Sacramento debita, sic poscit; ut Instrumenta Confessionis Sacramentalis non deducantur ad *externum Forum*, cum periculo præsertim *odii*, atqué oneris in Confessione.

24. In dubio: an puer pleno rationis usu polleat nec ne? debet confiteri in Confessione Paschali & adveniente ea, tum: quia pars isthæc tutior sit, tum eò: quòd non solùm mortalia *certa*, verùm etiam *dubia*, confiteri jubemur. = Excipiuntur tamen pueri à pœnis quas comminatur *Decretum Lateranense*, quia juxta tenorem = *c.* Referente. *de Delict. Puer.* = *In pueris; relinqui solet inultum, quod in aliis provectioris ætatis, humanæ leges ducunt severiùs puniendum.* = tantò magìs: quòd nec inconsultô Episcopo: quisquam; eò quia Paschali officio defuit; Ecclesiasticâ privandus est sepultura, eæ siquidem pœnæ, Superioris sententiam *præviè* requirunt.

25. Cavendum Confessario ne inutilia exploret, ne fortunam Pœnitentis sciscitetur, nisi in ordine ad eleemosynam, ne interroget nomen ejus, sive: cognomen, Familiam.

26. Confessarius qui ex sola Confessione didicit puellam esse gravidam, non potest sine consensu ejus, id, ipsa defuncta aperire, ut per Baptismum proli consulatur, ei tamen nisi hoc vel à Confessario declarari permittat, vel quod melius fuerit, alii extra Confessionem declaret: *Absolutionem Sacramentalem* Sacerdos impendere procul dubio non poterit, ut, quæ *temporale* famæ suæ bonum, *æterno* infantis bono anteponat. Qùod si puella hæc in extremis Confessarium revocari jussisset, qui eam reperisset omni sensu destitutam, non posset is secretum

ejus prodere: neq; enim in re tanti momenti sufficit licentia *præsumpta*, sed requiritur *expressa*. Ei tamen impendenda foret *Absolutio*, quia ad hanc sufficit aliqua Contritionis *præsumptio*.

27. Si Sacerdos peccatum suum confiteri alias non possit, nisi aperiat peccatum quod in Confessione audivit, & cujus Author à Confessario facilè intelligendus sit: debet peccatum illud hìc & nunc reticere, siquidem fortius est *vinculum Sigilli*, qùam Confessionis *integritas*, ex quo elicitur, qùod tantò magis extra Confessionem duo Confessarii qui eandem ejusdem Confessionem excepere, de eo, inter se; tametsi consilii captandi gratiâ: nisi in id liberè consenserit Pœnitens, colloqui non possunt.

Notandum itaqué: qùod omnis & quilibet Confessarius necessariò debeat habere has 5. conditiones scilicet = *Potestatem*, *scientiam*, *prudentiam*, *bonitatem* & *sigillum*.

28. Posset reservari impudicitia *cum Monialibus quocunq; modo attentata*, adeòqué mortifera semper *in animo*, etsi levis *in opere*, prout *die* 16. *April. Annó* 1744. judicavit Tribunal Inquisitionis Romanæ.

29. Inanis & frustra ab aliquibus usurpata est illa *cæremonia*, circa Absolutionem Pœnitentis, acsi manûs impositionis, tangendo caput Pœnitentis, cùm nullum extet de hac re *præceptum*, imò non est adhibenda, cum fœminis, præsertim, ubi non servatur debita Confessionalium forma. Quocirca nemo hanc poterit excusare per illam, quæ *Exomologesim* seu Confessionem peccati *antiquitùs* sequebatur, quæ nihil aliud erat qùam *Absolutio ab Excommunicatione quasi minori*, per quam *Lapsi* ab Eucharistia prohibebantur, secundùm id Cypriani *Lib. de Orat. Dom.* = *Intercedente aliquo graviori delicto abstenti & non communicantes à cœlesti Pane prohibemur.* = Legatur præterea ejusdem S. Doctoris *Epistola duodecima*, ubi permitit, ut Diaconi lapsis infirmis manus imponant.

30. Cum communi *DD.* ex S. THOMA *sexdecim*; verùm hìc *quatuor* enumerantur *potiores* conditiones Confessionis Sacramentalis, hoc versu expressæ:

Integra sit, simplex, humilis, parere parata.

Quæ

Quæ colliguntur exactè, præscriptô. *can.* Quem pœnitet. *de Pœnit. Dist.* 1. *can.* Sunt plures. *de Pœnit. Dist.* 3. Item: qualiter debeat esse *verecunda*, docetur *can.* Quem pœnitet. *de Pœnit. Dist.* 1. in verbis ibi = *erubescentia enim ipsa partem habet remissionis.* Insuper: consulitur esse *frequens*, adeòqué etiamsi non sit *necessarium*, valde tamen *salubre* extat, eandem iterare Confessionem, juxta *c.* Inter cunctas. *Extrav. Commun. de Privil. ibi* = *Cæterùm licèt* (*sicut prædicitur*) *de necessitate non sit, iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre:* &c. *lachrymabilis.* internè magis quàm per *exteriores lachrymas* dolorosa.

Parere parata. satisfactionem attingit, quæ Sacramenti Pœnitentiæ postrema pars est, eaqué integralis. Etsi pia Mater Ecclesia humanæ commiserens infirmitatis; primævam severitatem nonnihil emolliverit, atq; à Canonum Pœnitentialium usu recesserit; quandoquidem ùt legimus *in can. Fraternitatis. Dist.* 34. *Defectus nostrorum temporum, quibus non solùm merita, sed corpora ipsa hominum defecerunt, districtionis illius non patitur in omnibus manere censuram:* non ideo tamen fas Confessariis Sacramentalem satisfactionem pro libito, ac temerè imponere; sed hac in re justitiæ, prudentiæ, ac æquitatis jura debent unà componere. *In irroganda autem satisfactionis pœna Sacerdotes nihil sibi suo arbitratu statuendum esse, sed omnia justitiâ, prudentiâ, & pietate dirigenda, existimabunt.* Ita statuit Catechismus Romanus in Parochorum utilitatem jussû Concilii Tridentini elucubratus & à S. Pio V. PP. in lucem editus *sub tit. de Pœnit.* Ut autem ad acceptandam opportunam satisfactionem, quæ à Confessariis imponitur, peccatores faciliùs inducantur, multùm proderit Canonum Pœnitentialium notitia, quâ Confessarius instructus, esto Canones illos in usum non revocet, potest tamen eâ uti; ut pœnarum quæ olim pro iisdem criminibus statutæ fuerant, mensuram explicet.

Hæc brevitatis causâ consultò omittuntur, ulteriori materiæ gradum parat, *qui imminet.*

§. 5tus

§. 5tus

De Sacramento Extremæ Unctionis.

Ad can. Ab Infirmis. *XXVI. qu. VII.* in II. parte Decreti; Decretal. Gregor. *Lib. I. Tit. XV. de Sacra Unct. c. unic.* §. *Scire te volumus.* Instit: *Lib. II. Tit. VII.* ubi & de aliis singulis per *Titulos respectivos* Sacramentis.

TRactabatur hucusqé *in materia* Sacramentorum quæ *ad ingressum & progressum* in Ecclesia comparata sunt, sequitur de eo agere, quod propter *egressum* est institutum, quale hoc loci SACRAMENTUM Extremæ Unctionis, tali nomine appellatum: quia est *ultima Unctio*, quam homo Viator recipit, confertur siquidem homini existenti *in extremis.* Nullus enim potest intrare *Vitam æternam*, nisi sit bene purgatus, ideo necessarium fuit post Pœnitentiam aliud Sacramentum quo homo purgaretur à reliquiis peccatorum (puta venialium) & liberararetur ab infirmitate, ac præpararetur ad introitum Regni Cœlestis.

Definitur quòd sit = *Sacramentum Unctionis infirmorum à CHRISTO DOMINO institutum, ad sanitatem mentis & corporis precibùs Sacerdotum obtinendam per infusionem Gratiæ Sanctificantis, & sanationem morborum, ubi saluti animarum expedit.*

MATERIA *remota* Sacramenti Extremæ Unctionis est Oleum ex olivis expressum, quam Ipse CHRISTUS instituit, prout hoc testatur S. MARCUS in suo Evangelio *cap. 6. ℣. 5.* & patet ex Epistola *Canonica* S. JACOBI *cap. 5. ℣. 14.* ubi dicitur = *Ungentes eum Oleó.* Oleum autem olivarum est propriè oleum, & cætera sunt impropriè olea: *ita cc. DD.* Non alìas tamen est materia hujus Sacramenti, nisi sit *benedictum*, ùt constat, tum ex *Florentino* in Instructione Armenorum, ubi dicitur = *Materiam hujus Sacramenti esse oleum olivarum, benedictum ab Episcopo* ita Filliuc. *tract. 3. cap. 4. qu. 6.* & alii *cc.* proindeq; tale *Oleum* vocatur *Infirmorum. Proxima* verò

est

eſt Unctio, quæ elicitur ex ſupra allegato teſtimonio = *Ungentes eum.* = tum: quia Sacramenta quæ conſiſtunt in uſu, habent pro ejusmodi materia *Actionem.*

FORMA Sacramenti Unctionis infirmorum eſt Oratio in Rituali Romano à PAULO V. *Apoſtolica Conſtitutione* approbato, præſenti Titulô: expreſsa, tenoris ſequen. = *Per iſtam Sanctam Unctionem & ſuam piiſſimam Miſericordiam, indulgeat tibi DOMINUS, quidquid* = (exempli causâ) *per viſum* (ſimiliter in aliis membris, utpote & tanquam ſedibus ſenſuum faciendo) *deliquiſti.* Ex quibus: iſta duntaxat *eſſentialia* videntur = *Per iſtam Sanctam Unctionem indulgeat tibi DOMINUS;* quia per hæc exprimuntur: Actus, Cauſa principalis, ſubjectum, & effectus. *Actus* quidem in verbis = Per iſtam Sanctam Unctionem. *Cauſa principalis: DEUS. ſubjectum* tibi. *effectus.* Indulgentia ſive Miſericordia DEI includitur in verbo = indulgeat; aut & quod ſignificatur verbis iſtis = *quid quid deliquiſti;* nam DEUS indulget peccatori. Et quidem conveniens eſt quòd ſit *deprecatoria* prout conſtat ex verbis Apoſtoli, dicit enim Apoſtolus: *orent ſuper eum.* adeòqué palam docet Orationem eſse formam, ſic namq; per Gratiam huic Sacramento annexam, in anima *dignè* illud ſuſcipientis abſterguntur reliquiæ peccatorum, ideſt expelluntur habitudines & proclivitates ad malum. Bono proinde conſiliô: *ne modò Pœnitentiæ; aſt & totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia eſſe debet, conſummativum exiſtimatum eſt à Patribus,* in hæc formalia verba teſtimonium reddente Concilio Tridentino *Seſs. 14. cap. 9.*

MINISTER Sacramenti Extremæ Unctionis eſt ſolus Sacerdos, & non alius inferior Sacerdote, quod per clarum oſtenditur ex jam allegato capite Epiſtolæ *S. Jacobi* = ubi habet = *infirmatur quis ex vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ &c.* Neq; eſt de neceſſitate, quòd ſint plures Sacerdotes præſentes, & etiam ſolus, ſed ſolus Sacerdos, uno præſente Clerico, poteſt hoc Sacramentum conferre, prout hoc ſuper dubio reſpondit ALEXANDER III. Papa, de quo *in c.* Quæſivit. *de Verb. Signif.*

Quòd

Qùod si autem sint plures Sacerdotes, meliùs est: ubi, ille qui inungit; debet dicere verba, cæteri verò respondere & assistere, ac orare pro infirmo. Nec obstat qùod Sanctus JACOBUS numerô plurali dicat = *inducat Presbyteros.* quia ista verba idem sunt ac = aliquem ex Presbyteris, quomodò dicimur: confiteri peccata *Presbyteris*, nempe alicui Presbytero.

Paulò superiùs ostensum est, quemlibet Sacerdotem posse validè hoc Sacramentum administrare, non tamen hoc fit *licitè*, à quocunqué Sacerdote, nisi: vel in extrema necessitate, vel de proprii Pastoris licentia, saltim tacita: quia hoc spectat ad debitum regiminis modum, & ordinatum exercitium potestatis Ordinis. Quapropter *in Clement.* Religiosi. *de Privil. & excess. Prælat.* ipso facto excommunicantur Religiosi, qui præsumpserint absqué Parochi consensu licètsi in articulo mortis, tam hoc, qùam Eucharistiæ Sacramentum ministrare.

SUBJECTUM SACRAMENTI Extremæ Unctionis sunt soli Fideles de vita periclitantes, quì ratione utuntur, vel certè anteà usi sunt, & hoc Sacramentum recipere optaverunt. Nam cùm hoc Sacramentum sit extremum & ultimum remedium, quod adhibetur à Fidelibus, consentaneum est, ut non adhibeatur nisi extremô morbo laborantibus, qui videantur ex hac vita migraturi. ita S. Thom. *Dist. 23. qu. 2. art. 2.* infirmis nempe qui tam periculosè decumbunt; ut in exitu vitæ constituti esse videantur.

Unde non conferendum est gerentibus bellum, non enim talis mors eis subeunda imminet ex defectu naturæ; sed ex eventu fortunæ, non item existentibus in mari cum periculo mortis, non potest item dari condemnatis ad mortem supplicii, siquidem hi non dicuntur infirmari, nec laborant verè infirmitate corporali. Secus dicendum: quoties isti ex morbo in periculo mortis versantur. Qùod si demum hoc Sacramentum conferatur insano; invalidum erit, ùt colligitur ex Trident. *Sess. 14. cap. 3.*

De necessitate hujus Sacramenti est, ut ungantur quinque

sensus

sensus corporis in suis sedibus præcipuis, scilicet: *Oculi.* propter sensum visûs, *Aures.* propter sensum auditûs, *Nares.* pro pter sensum olfactûs, *Os.* propter sensum gustûs, *Manus.* propter sensum tactûs, *pedes.* ob vim motivam: repetita ad singulos formâ. Inungebantur etiam Renes, quia in eis incentivum libidinis consistit, & SALVATOR noster *Lucæ cap. 12. ℣. 35.* dicit = *Sint lumbi vestri præcincti.* Scapulæ item ob vim appetitivam solebant inungi. Consuetudo verò Ecclesiæ servabitur, ast hæ postremæ partes non inunguntur hodie, in renibus enim & pedibus juxta loci consuetudinem, præsertim in fœminis fere semper omittenda est propter decentiam, *ob pudorem scilicet* & honestatem, non debent etiam scapulæ inungi, siquidem inunctæ fuerunt in Baptismo. *Similiter:* Manûs Presbyteri non ungendæ sunt palmæ *interiùs*, sed *exteriùs*, quia priùs ab Episcopo *interiùs* inunctæ fuerunt in Ordinatione.

SACRAMENTUM Extremæ Unctionis quamvis in eadem infirmitate sive in eodem statu infirmitatis iterari non possit, cùm semel suscepta sit *Medicina* sufficiens ad conferendum effectum; quo infirmus indiget, nihilominus si status infirmitatis mutetur; potest iterarari, eò qùod non habet *effectum perpetuum* sicut illa quæ iterari nequeunt, è quorum numero *duo* superiùs jam recensuimus, de *tertio* reliquo nempe eorum: manet nobis *immediatè* disserendum: Sacramento. Res clariùs videatur in exemplo = Si infirmus sit in periculo mortis; & inungatur, & postmodum relevetur, ac deinceps post aliquot dies sit in articulo mortis, poterit iterum inungi, & maximè: quando infirmitas est diuturna, ùt esset paralysis, vel febris hectica, sive similis morbi affectio.

Debet ministrari hoc Sacramentum adultis etiamsi *recèns baptizatis*, namqué & in his contra dæmonis astutias potentiæ sensuum indigent confortatione. Quælibet tandem Unctio *essentialis*: de qùantitate *materiæ* tanta sit oportet; quanta satìs est, ad hoc, ut juxta communem modum veram rationem Unctionis attingat, proinde non videtur sufficere unam guttam olei stillare, quia hoc non est ungere. Ulteriora demonstrant.

RESOLUTIONES CASUUM.

1. SI contigerit nullum adesse virum, sed solùm fœminam, quæ Sacerdoti Extremam Unctionem administranti capax foret respondere: consultius erit, ut ipse sibi respondeat.

2. Graviter peccant, qui illud tempus inungendi ægrotum observare solent, quum jam omni spe convalescentiæ amissa: vitâ & sensibus carere incipiat. verba sunt PII V. Papæ. *in Catech.* par. 2. *de Unction.* de Sacram. Extrem. Unct. *cap.* 6. *n.* 9. Quod intelligendum venit: *quoties; datâ opera nolit Parochus aliter facere.*

3. Potest sanè à pluribus circa illud ministrari, si autem unus ungeret, alius Formam proferret, tunc nullum est.

4. In dubio: num vivat ægrotus? administrari adhuc potest, saltim sub conditione = *Si es capax.*

5. Minister hujus Sacramenti cavere debet à duobus extremis, nempe ne sit nimis properus, & ne sit nimis tardus in dando *Oleo S.*

6. Si quis non haberet oculum, vel nasum, vel alia membra: inungantur loca magis propinqua dictis membris & locis, ast si talis infirmus laboret in extremis: citò inungetur, ne sine Unctione decedat. *can.* Baptisari. *Dist.* 5.

7. Potest isthoc Sacramentum conferri adulto, qui alioquin statim post susceptum Baptismum incidit in morbum lethalem, quamvis enim nullum peccatum commiserit post susceptum Baptismum, est capax effectûs hujus Sacramenti, & *Forma* verificatur saltim sub conditione = *si deliquit.*

8. Sacramentum Extremæ Unctionis impendit suum effectum in ultima Unctione virtute omnium præcedentium, licèt aliqui existiment illud producere partialem effectum in singulis inunctionibus, quia peccatum unius sensus non remittitur sine peccato alterius, & omnes Unctiones institutæ sunt ad effectum *completum* & ordinantur ad integram totius hominis Unctionem.

9. Sacerdos non debet petere in collatione hujus Sacramenti pecuniam, quia *Simoniacus* esset. *can.* Si quis Præbendas. 1. *qu.* 3.

10. Si infirmus petierit hoc Sacramentum, & antequam Sacerdos

cerdos veniat loquelam amiserit vel notitiam, nihilominus Sacerdos eum inungat.

11 Si infirmus sciat se esse in peccato mortali, tenetur confiteri, si potest, aut saltim tenetur habere Contritionem si copiam Confessarii non habet, nec sufficit Sacramentum Extremæ Unctionis.

12. Si ob morbi vehementiam & capitis turbationem nesciat se esse in peccato mortali, vel, si hoc quidem sciat, adhuc tamen *bona fide* se esse *contritum* putat, quum tantùm sit *attritus*, tunc, ultro conceditur hoc Sacramentum sufficere, nec necessariam esse Confessionem, nisi *in voto*; qùod si *re ipsa* haberi non possit.

13. Non est tamen necesse necessitate *Sacramenti* Unctiones fieri in formam *Crucis*, cùm hoc nulla sufficienti ratione probetur. *ita Sylvester. verb.* Unctio. §. 2. Verùm si res sit de necessitate *Præcepti*; perspicuum est: Unctiones faciendas esse in formam Crucis. Sylvester. *verb.* Unctio. *n.* 2.

14. Parochus potest licitè Oleum non consecratum miscere consecrato, quando timet fore: ut Oleum consecratum non sufficiat, utrumqué enim censetur consecratum per admixtionem, modò quod addatur; sit minoris quantitatis consecratô, sive qùam extrema Olei consecrati, ut simul utrumqué censeatur consecratum, meliùs itaqué erit addere consecratum, si Olei consecrati copia possit haberi, namq; : *majus dignum trahit post se minùs dignum.* c. Quod in dubiis. *de Consecr. Ecclesiæ vel Altar.*

15. Oleum Infirmorum ex consuetudine & præcepto debet esse benedictum *eo Anno* ad præscriptum *Canonis* = Literis vestris. *de Consecr. Dist.* 3. nec Parochus videtur à peccato excusandus, si Oleum *alterius Anni* adhibeat, nisi aliud suadeat necessitas. *ita Possevinus & alii.*

16. Dari potest Extrema Unctio, iis, qui ex solo senio versantur in probabili mortis periculo: *jux. Reginald. lib.* 28. *n.* 69.

17. Si Episcopus *ut die Cœnæ DOMINI* hoc Sacramentum conficiat sit infirmus, absens, aut Sedes vacet; necesse erit adire proximiorem Episcopum, & ab eo petere *Consecrationem* Olei S. ac antiquum comburendum est. *c.* Quoniam. *de Sent. Excom. in*

Sexto. & *c.* Si Episcopus. *de supplend. neglig. Prælat. ibid. in Sexto.* quod potest fieri etiamsi in Ecclesia *Interdicta, jux. DD. in d. c.* Quoniam. *de Senten. Excom. in 6to.* & *gloss. in c. unic.* Clementinar. *de Reliq.* & *Venerat. Sanctor. verb.* = Sacri confectione Chrismatis.

18. Non est *improbabile* hoc Sacramentum *validè* aliquando posse conferri, sub hac forma = *Ungo te Oleô Sanctô, DEUS tibi remittat peccata tua, quidquid per - - deliquisti.* Siquidem verbo indicativo adjungitur sufficiens deprecatio, peccaret tamen graviter, qui iret contra usum Ecclesiæ Romanæ.

19. Hoc Sacramentum ministratum *à Diacono*, & quamvis id faciat de licentia PAPÆ; est *invalidum*, quia in his quæ sunt *de jure Divino* & ex CHRISTI Institutione, PAPA non potest dispensare.

20. In necessitate quando alius non esset, vel si iniquus Parochus nollet illud administrare, aut licentiam concedere, tunc posset quilibet Sacerdos ministrare, sublatô scandalo, in quo casu non usurparet utiqué *jurisdictionem* alienam, sed defenderet jus innocentis, & præsumitur tunc adesse licentia Episcopi, aut PAPÆ.

21. Parochus cùm sit *Ordinarius* Minister potest hanc facultatem delegare, censetur autem adesse licentia *interpretativa*, quando infirmus jam jam moritur, & Parochus commodè atqué opportunè inveniri non potest.

22. Potest hanc licentiam concedere Parochus *Excommunicatus*, etiam vitandus, aut ab Officio *suspensus*, nam hujus Sacramenti ministratio magis fundatur *in Ordine* qùam *in Jurisdictione.*

23. Liberantur à supra dicta *Excommunicatione* Religiosi, administrantes cum expressa ratihabitione Parochi, quando infirmus est *in mortis articulo*, quia tunc præsumitur adesse consensus Episcopi: aut PAPÆ, eò qùod non sit credibile Ecclesiam velle privare tantô Sacramento, quo homo potest ex *attrito* fieri *contritus*, & consequenter salvari.

Postquam hucusqué de iis Sacramentis, quæ quoquo modô *necessitatis* sunt; tractabatur, reliquum nunc de iis differere, quæ *Dignitatis* sunt & *voluntatis*, qualia sunt Sacramenta *Ordinis* & *Matrimonii*, unde de Ordine sit.

§. 6.

§. 6tus
De Sacramento Ordinis.

Ad Decreti partem I. Diſtinctiones; *XXI. III. IV. VI. VII. VIII. XXXI. III. IV. XLVIII. IX. L. LI. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. LXIV. V. VI. VII. VIII. IX. LXXI. IV. V. VIII. LXXXI. III.* Partem II. Cauſas; I. *qu. V. VII. qu. I. IX. qu. I. & ſequ. X. qu. I. XII. qu. XIII. XV. qu. VIII. XVIII. qu. II.* Decretal. Gregor. *Lib. I. Tit. XI. XII. XIII. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. Lib. V. Tit. XXVIII. XXIX & ſequ.* In Sexto *Lib. I. Tit. IX.* Septimo *Lib. I. Tit. V.*

QUia neceſſarium eſt qùod prædicta Sacramenta conferantur per determinatos Miniſtros; neceſſarium fuit Sacramentum Ordinis cujus Miniſteriô hæc Sacramenta diſpenſarentur juxta teſtimonium Apoſtoli 1mâ ad Conrint. 4. v. 1. Adeòqué licètſi non ſingulis CHRISTI Fidelibus verùm Eccleſiæ in communi, nempe *Fidelium Univerſitati* Sacramentum Ordinis eſt neceſſarium *ſimpliciter*, ſine quo nequé Hierarchia Eccleſiæ conſiſtere poteſt, neq; alia Sacramenta conſici.

Definitur = *Eſt Sacramentum, quo ſpecialis Poteſtas traditur, ad conficiendum* CORPUS & SANGUINEM CHRISTI. Hæc definitio accommodari poteſt ſingulis Ordinibus, ſpectata *duplici* Poteſtate quæ per Ordines confertur ad Euchariſtiam, *mediata* ſcilicet & *immediata*.

Ex antiqua & conſtanti Eccleſiæ Latinæ Traditione *Septem* recenſentur Ordines, tum ab EUGENIO IV. in Decreto *pro Armenis*, tum ex *Concilio Tridentino Seſs. 23. cap. 2.* ſcilicet: *Presbyteratus*, *Diaconatus*, *Subdiaconatus*, *Acolythatus*, *Exorciſtatus*, *Lectoratus*, & *Oſtiariatus*. Tum ex congruentia propter ſeptiformem Gratiam SPIRITUS SANCTI, cujus qui non ſunt participes: ad *Gradus* Eccleſiaſticos indignè accedunt, illi verò in quorum mentibus diffuſa eſt ſeptiformis Gratia SPIRITUS SANCTI, quum ad Eccleſiaſticos Ordines accedunt, in ipſa Spiritualis *Gradûs* promotione ampliorem Gratiam percipere neceſſariò ſunt credendi.

Horum

Horum tres sunt *Majores*, qui etiam *Sacri* vocantur, incipiendo à Subdiaconatu usqué ad Episcopatum. *can.* Omnium. *Dist.* 32. *Minores* sunt quatuor, inclusivè ab Ostiariatu usqué ad Acolythatum. *can.* ASubdiacono. *Dist.* 93. = Sic dicti = *Majores* = quia circa Missam & Sacramentum Eucharistiæ aliaq; Sacramenta sublimiorem habent curam, dignitatem & Officium, = *Minores* = quia minorem. At omnes prædicti Ordines unum constituunt Sacramentum respectû finis, quia etsi diversi sint Ordines, in unum tamen offeruntur finem, nempe: ad CORPUS CHRISTI *Verum & mysticum*.

Sed difficultas est *de Subdiaconatu*, qui inter sacros & majores Ordines nondum numerabatur sœculo duodecimô, licèt votum continentiæ ipsi esset annexum saltim à sæculo sextọ, & Subdiaconi à primis sæculis ordinati fuerint per contactum Calicis vacui. Item constat ex Concilio *quarto Carthaginensi*, quod celebratum est quartô labente sœculo; Ac proinde *Subdiaconatus* non recensetur inter majores Ordines propter votum continentiæ, nec propter concessam *Subdiaconis* facultatem contingendi vasa sacra, prout hoc solidè defendit Hugo à Sancto Victore *lib.* 2. *par.* 2. *cap.* 13. Verùm potior ratio cur Subdiaconatus accenseatur inter majores Ordines? repetenda est ex dispositione Ecclesiæ, quæ decimo tertio sœculo sub INNOCENTIO III. *Subdiaconatùs* Ordinem inter majores recensuit, prout hac de re edocet *c.* A multis. *De ætate & qualit. præficiend.* item *c.* Miramur. *De serv. non ordinand.* Occasionem dedisse videtur URBANUS II. qui undecimô sœculo indulsit ut Subdiaconi = *Si tamen spectatæ sint Religionis & scientiæ;* in Episcopos eligi possent, quum anteà nullus nisi Diaconus ad illud honoris culmen eveheretur, juxta *can.* Nullus in Episcopum. *Dist.* 60.

Altera difficultas obvenit de *Episcopatu* ad præallegatum *can.* Omnium. *Dist.* 32. eò quòd Canonistæ sustinent Ordinem Episcopalem habere *Materiam & Formam* distinctam ab Ordine Presbyterali. *Materiam* scilicet impositionem Evangeliorum super cervicem & scapulas, de quo ex-

expresſè habet *Pontificale Romanum Titulô de Conſecratione Electi in Epiſcopum. Formam* verò = *Accipe* SPIRITUM SANCTUM. Adeòq; eſſe Ordinem non tantùm prout eſt Sacramentum imprimens Characterem, verùm etiam prout eſt diſtinctus à dicto Ordine Presbyterali, & quamvis eadem verba proferantur etiam in Ordinatione *Diaconi*, ſed non proferuntur in actu traditionis Inſtrumenti, ideſt libri Evangeliorum, quemadmodùm in Ordinatione Epiſcopi. Quæ difficultas conciliari poteſt dicendo = Sacramentum Ordinis ſubdividi in plures Ordines, qui (ùt placet non paucis Theologis) ſinguli ſunt Sacramenta, atqué ea ratione explicatur præallegatum Concilium Tridentinum, ubi decernit ſeptem eſse novæ Legis Sacramenta, ab iis nempe de ſpecie infima tantùm, hìc verò quò ad ſpeciem ſubalternam ſpectata, atq; ſic intellecta.

MATERIA remota Sacramenti Ordinis eſt res illa, quæ traditur ſuſcipienti Ordines, non excludendo in Diaconatu & Presbyteratu Manus Epiſcopi. *Proxima* verò eſt traditio materiæ remotæ, & reſpectivè impoſitio Manuum Epiſcopi. Ex Sacris in quorum collatione impoſitio Manuum Epiſcopi eſt eſſentialis, Inſtrumentorum traditio ad integritatem eorundem pertinet. Dicta tandem Inſtrumenta Epiſcopus Ordinandis porrigens: admonet eos, quomodò in ſuſcepto Ordine rite & diligenter miniſtrare debeant, de quibus latè & fusè ſatìs habeant Canones Sacri. *can.* Oſtiarius. *Diſt.* 23. *can.* Lector cùm ordinatur. *can.* Exorciſta. *can.* Acolythus. *can.* Subdiaconus. *can.* Diaconus. *can.* Presbyter cùm ordinatur. *Diſt. ead.*

FORMA eſt illa, quæ ab Epiſcopo ſub certis verbis in Ordinum collatione profertur, quæ tamen pro Graduum ac Ordinum diverſitate alia atqué alia præſcripta eſt, per quam nimirum Ordinatus accipit poteſtatem faciendi imò & exequendi Officium ſibi injunctum.

MINISTER Sacrorum Ordinum, & Minorum, & primæ Tonſuræ, quæ etiam nomine Ordinis apud Canoniſtas cenſetur, per *c.* Cùm contingat. *de Ætat. & qualit. & Ord. præficiend.*

ex

exJure Divino tam vi Ordinationis est solus Episcopus, non aliis siquidem sed Apostolis & eorum Successoribus Episcopis Jus & Authoritatem Ministros Ecclesiæ ordinandi contulit CHRISTUS, quod ipsum referunt Acta Apostolorum *cap.* 6. ℣. 6. & *cap.* 14. ℣. 22. attestatur PAULUS 2dâ ad Thessalonicen. *cap.* 1. ℣. 11. 1mâ ad Timot. *cap.* 3. ℣. 2. & 8. ibidem *cap.* 4. ℣. 14. & *cap.* 5. ℣. 17. necnon 22. Ad Titum *cap.* 1. ℣. 5. Ast *regulariter* nonnisi proprius; sive alius sed de consensu proprii Episcopi, juxta obloquentiam *c.* Eos qui. *de Temp. Ordinat.* & ex Concil. Trident. *Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* Proprius verò Episcopus *triplex* est, scilicet: *Originis*, *Beneficii* & *Domicilii*, ita BONIFACIUS VIII. *c.* Cùm nullus. *de Temporib. Ordinat. in Sexto.* Unde Synodus Senonensis Annô MDXXVIII. declaravit, à quolibet ex tribus istis Episcopis licere Ordines suscipere. Cavendum insuper est, ne per fraudem Beneficium obtineatur, idest ad hoc ne se Examini proprii Episcopi subjiciat. Præsumitur item fraus quando Beneficium est insufficientis reditûs, & versimile est Beneficiarium nolle se tenere mancipatum obsequiò Diœcesis in qua ordinatur, adeòqué sic incurrit pœnas in eos latas, qui ab alieno Episcopo ordinantur, nimirum est suspensus ab Officio Ordinis taliter suscepti, unde si in eo ministravit, Irregularitatem contrahit, *ex Declaratione Cardinalium Annô MDCLXII.*

Ex *Commissione* Summi Pontificis possunt conferre Ordines *Minores* Cardinales Presbyteri, prout hoc comprobat consuetudo, tantò magis in suis Titulis, in quibus habent jurisdictionem. *Item* ex Privilegio possunt etiam conferre *Minores Ordines* Abbates, habentes jus Mitræ & Baculi benedicti ab Episcopo. De Tonsura habet *Canon* = Quoniam videmus. *Dist.* 69. similiter de Clericatu *jam cit.* *c.* Cùm contingat. *de Ætat. & qualit. & ord. præficiend.* latiùs in *c.* Requisivit. *de Ordin. ab Epi. qui renun. Episcopat.* quod tamen limitavit Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 10. respectû suorum *subditorum* tantùm, ex quo: aliis conferre non poterunt, nisi habeant licen-

licentiam à ſuis Ordinariis, quum hoc jure proprio ſibi non liceat. ùt *in c.* Abbates. *de Privil. in Sexto.* docetur.

Rurſus hoc loco difficultas occurrit, quænam *Manuum* Epiſcopi *impoſitio* in Ordinatione Presbyteri ſit Materia eſſentialis? *Duplex* enim vel etiam *triplex* adhibetur *Manuum impoſitio* in Ordinatione Presbyteri, quandoquidem *1mò.* Pontifex & poſt Illum alii Presbyteri Manus imponunt initiô Ordinationis ad Presbyteratum ordinando, absqué ulla verborum prolatione *2dò.* Nulla interjecta morâ tam Pontifex qùam alii Presbyteri tenent Manus extenſas ſuper initiandum, adeòqué iſthæc *Manuum impoſitio* videtur eſse eadem cum præcedente *continuata.* Interim verò Pontifex fundit preces pro presbyterando, quæ fuſa ad DEUM oratio habet rationem formæ. *3tiò.* & ultimò. Manuum impoſitio ſit poſt Communionem cum iſta verborum forma ≍ *Accipe* SPIRITUM SANCTUM, *quorum remiſeris peccata &c.* Hanc plures exiſtimant ad ſubſtantiam Sacramenti pertinere, contenduntqué: Presbyterum ante hujusmodi impoſitionem Manuum Epiſcopi; non habere poteſtatem remittendi peccata.

SUBJECTUM quilibet homo maſculus, baptizatus, ad *validè*; quantùm *&* *licitè* ſuſcipiendos Ordines Confirmatus, in debita ætate conſtitutus, nullo *Canonico* impedimento detentus.

Addendum reſtat: probabiliùs dici nullam eſse infantum & amentum Ordinationem, eò quia nullum veſtigium nec in Scripturis nec in Traditione occurrit collatæ Ordinationis infantibus vel amentibus, quinimò omnes Canones Eccleſiaſtici requirunt: ætatem, ſcientiam, probitatem, conſenſum & alias ſimiles qualitates, quæ procul dubiô excludunt ab Ordinatione infantes, & amentes, tanquam eos, quibus illæ conditiones ineſſe haud poſſunt. Nequé dicendum erit *Canones* procedere de *illicita* non autem *invalida* Ordinatione, quia hæc reſponſio nullo Sacræ *Scripturæ* aut *Traditionis* fundamento probari poteſt, ſed ſolùm Scholaſticis nudis raciociniis, quæ niſi fundentur in *Scriptura & Traditione*; parum habent momenti & ponderis ad perſvadendum.

G Tum

Tum: etiamsi aliquæ mulieres olim dictæ sint *Episcopæ*, *Presbyteræ*, *Diaconissæ*, *Subdiaconissæ*; non ab ullo Ordine vel Ministerio Ecclesiastico sic appellatæ fuerunt, sed à Viris suis, qui cùm ad illos Ordines assumebantur, eas relinquebant, aut in sœculo Votô Castitatis obstrictas, aut in Monasteriis *Professionem* solemniter emittentes. Nullibi porro extat mulieres ad Ordines assumptas fuisse. Quamobrem quando facta est mentio in *can.* Diconissam. 27. *qu.* 1. & *can.* Mulieres quæ apud Græcos Presbyteræ. *Dist.* 32. hæ utiqué in Ecclesia tanquam *Ordinatæ* constitui omnino prohibebantur. Similiter illæ mulieres, quibus ante quadragesimum ætatis suæ annum ordinari non licebat, *Diaconissæ*, de quibus in prætacto *can.* Diaconissam. neutiquam fuerunt verè initiatæ Ordine Diaconatûs, ast duntaxat fuerunt destinatæ ad quædam obsequia Divina, laicis; imò cuiqué populo fideli communia, in instruendis *privatim* mulieribus *catechumenis* ad Baptismum, adeòqué & Presbyteras illas nequaquam insignitas fuisse Sacro Presbyteratûs Ordine, sed habuisse certam curam quarundam rerum Ecclesiæ. Speciali quidem ritu per impositionem Manuum Diaconissæ instituebantur, at is merè *cærimonialis* erat, non Ecclesiasticæ Institutionis, tantò magis haud *Sacramentalis*, aut ex Divina Ordinatione.

Licètsi tandem nomen Presbyteri *Græcè* seniorem significans; à senectute sit sumptum, magis tamen sapientiæ indicat maturitatem, quàm corporis canitiem. *can.* Quis quis. *Dist.* 84. Ipsi nihilominùs constituti in minori Ordine & Beneficio, iis, qui aut Ordine aut Officio præcellunt, exhibere debent reverentiam & obedientiam. *can.* A Subdiacono. *Dist.* 93. Constituti in majori Ordine & Beneficio vicissim inferioribus præstare amorem & Charitatem. *can.* Esto subjectus. *Dist.* 95. Meminerintqué: se esse Majores & non Dominos, ac tales; ut non solùm præsint, sed etiam prosint. *d. can.* Esto.

Examinatores diligenter Ordinandos examinare in conscientia onus habent, seu examinet eorum quivis & seriò investiget,

ſtiget, ac hujusmodi ſcrutinium tam Ordinationem quàm Beneficiorum collationem præcedere debet, circa eorum: Genus, Patriam, ætatem, Inſtitutionem, Locum ubi ſunt Ordinati ſi aliquos habent Ordines, ſi Interſtitia ſervaverunt, ſi Litteras callent, ſi inſtructi Lege DEI, & ante omnia ſi Fidem Catholicam firmiter teneant, hæc expreſſa habentur *can.* Nullus. *can.* Epiſcopi. *can.* Quando. & *per tot. Diſt.* 24. Noviſſimè tamen conſulere eſt Concil. Triden. *Seſs.* 23. *cap.* 5. 7. 13. in Decreto Reform. & *Seſs.* 7. *cap.* 13. *ibid.*

Presbyteri deniqué pro talibus non habentur, qui nullius Epiſcopi diſciplina & providentiâ gubernantur, *acephaliqué* nuncupantur ideſt ſine capite. *can.* Nullus. *Diſt.* 98. Contra hujusmodi vagos & ignotos Sacerdotes videre eſt Decreta Sacroſancti Concilii Triden. *Seſs.* 22. ubi eos arcet à celebrandis Miſsæ Sacrificiis, & *ſequ. Seſſione cap.* 16.

Adeòqué Titulum ſeu Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ad ſuſtentationem, non habentes ordinari prohibentur per *cit. Conc. Trid. Seſs.* 21. *cap.* 2. de Reform. aliàs Ordinati incurrunt Suſpenſionem ipſo facto. *can.* Neminem abſolutè. *can.* Sanctorum Canonum. *Diſt.* 70. quæ Jura licèt fuerint correcta per *c.* Cùm ſecundùm. *de Præb.* & *Dign.* ùt notat *gl. fin. in c.* Non liceat. *ibid. de Præb.* tamen per *Conc. Trid. loc. cit.* videntur fuiſse iterum renovata, quum indiſtinctè Concilium ibi loquatur de Juribus antiquis.

Ipſe inſuper Ordines conferens *indigno* mortaliter peccat, ſimiliter Prælati & alii qui faciunt ſuos taliter promoveri, quia infideliter *Dona DEI* diſpenſant, & Eccleſiæ detrimentum faciunt, & Honori Divino. Idem ſentiendum venit de conſulentibus, promoventibus ſive præſentantibus hujusmodi, quando *ſcienter* faciunt, vel non adhibent curam ſcire eos dignos, quia verè cooperantur ad malum, nequé ſufficit non ſcire eos eſse malos, ſed oportet: quòd ii qui promovent & commendant noſcant bonos, eo modo quo eſt poſſibile ſcire, ad hoc ſpectat *Canon.* Quando Epiſcopus. §. Ipsi autem. *Diſt.* 24.

Poſt hæc dicta & recenſita:

RESOLUTIONES CASUUM.

1. ORdinatus à PAPA pro inferiori Ordine; non poteſt à proprio Epiſcopo ad ſuperiorem promoveri ſine ſpeciali licentia PAPÆ, quia ubi ille incipit: inferior non debet finire. *c.* Cùm in diſtribuendis. *de Temporib. Ordinat.* Abbas *in c.* Poſtulâſtis. *n.* 10. *de Cler. Excomm. miniſtran.*

2. Si quis habeat *Beneficium* in aliqua Diœceſi; & *Domicilium* vel Originem in alia, poterit ordinari in illa in qua habet Beneficium, etiamſi forſitan tenue, dum modò tamen ſit congruum ad ſuſtentationem, quia etiam tale verè eſt Beneficium. *gl. in c.* Cùm nullus. *verb.* Eccleſiaſticum. *de Temp. Ordinat. in Sexto.*

3. Litteratura Ordinando cuiqué ratione ſui Ordinis competens & requiſita, adeò neceſſaria eſt de jure *Divino*, ut PAPA non poſſit diſpenſare in ea. *Felin. in c.* Si quando. *de Reſcript. colu. penult. verb.* Sed dices. Navarr. *cap.* 27. *n.* 205. Notat. 2. dicit = PAPAM rarò aut nunquam in hoc defectu diſpenſare directè, ad quod refertur doctrina *in can.* Illiteratos. *Diſt.* 36. *can.* Ignorantia. *Diſt.* 38. ex eoqué facilè reſultat quantò minùs diſpenſare poterit Epiſcopus.

4. Si fortè acciderit: ut dum ad Ordines generales Examina fierent juxta præſcriptum *can.* Quando Epiſcopus. *Diſt.* 24. moriatur Epiſcopus feria ſextâ *Quatuor Temporum*: *Capitulum Sede vacante* poſſet concedere facultatem Epiſcopo; Titulari vel alterius Diœceſis, ad hoc, ut Sabbatô immediatè ſequenti Ordines celebraret, eò quòd hoc non eſſet *Dimiſſorias* dare Ordinandis, ſed Facultatem Epiſcopo ordinandi, eos, qui à recèns defuncto Epiſcopo defuncto ordinandi erant, ex caſu, & prout hac vice: non obſtante; quòd ad mentem *Concilii Tridentini Seſſ.* 7. *cap.* 10. *de Reform. infra Annum integrum elapſum à die vacationis; Literas Dimiſſorias ſeu reverendas Capitulum dare non poteſt Ordinandis.*

5. Probabilius eſt, diem *biſſextilem* computandum eſſe pro ætate *legitima*, quam jura in promovendis ad Ordines requirunt, maximè: quia duo illi dies pro uno computantur, tum ex eo: quia

quia Anni computandi sunt juxta Ritum & usum Ecclesiæ, prout in simili tradunt DD. *de Interstitiis*, usû autem Ecclesiæ receptum est, ut dies *bissexti* computentur, alioquin enim non solùm non esset computandus dies illius Anni *bissextilis*, verùm neque Annorum præcedentium, quod fieri non debet.

6. Non extinguuntur Literæ *Dimissoriæ* post mortem Episcopi, à quo datæ sunt, quod constat *ex c.* Si gratiosè. *de Rescript. in Sexto.* siquidem ea, quæ sunt Gratiæ non exspirant per mortem concedentis, ùt refert vulgatum illud = *Gratiæ non moriuntur.* inter *Brocardica* relatum.

7. Quandoque Diaconi in Jure dicuntur Sacerdotes, ùt in *can.* Si quispiam. *Dist. 81.* quinimò Subdiaconus in favorabilibus venit nomine Sacerdotis, non item in odiosis per Regulam Juris *XV. in Sexto.* Verùm tamen propriè Sacerdotes ii appellantur qui Eucharistiam conficiunt. *can.* Cleros. verb. Sacerdos. *Dist.* 21.

8. Ordinatus in Subdiaconum absque Sacramento Confirmationis non est iterum ordinandus, sed supplendus defectus Confirmationis. per *c.* Presbyter. *de Sacram. non iter.* sic etiam de Minoribus Ordinibus foret intelligendum.

9. Episcopus *renuntians in toto* Dignitati Episcopali; non propterea ipsam quò ad potentiam Ordinandi perdit, quin in Ordinatione characterem imprimat.

10. Qui ordinantur *per saltum* non suscepta priùs prima Tonsurâ manent Ordinati, sed peccant mortaliter. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 4.*

11. Quòd si ascensuro *ad Presbyteratum* per oblivionem contingeret, Calicem sine vino, vel patenam absque pane triticeo dari, non maneret Ordinatus, & tunc opus esset reiterare Sacramentum Ordinis sub conditione; non desunt tamen, qui dicant: unam ex duabus speciem sufficere.

12. Qui ignorabat se esse *Excommunicatum*, ast in hujusmodi ignorantia invictè perseverans fecit se ad Ordines promoveri: *sæcularis* à solo PAPA; *Regularis* à Superiore proprio erit absolvendus. per *c.* Cum illorum. de Sent. Excomm. & *ibi gloss.*

13.

13. Novi Sacerdotes ſive *Presbyteri* recèns Ordinati, ad peragenda Miſſarum Sacrificia *infra ſex Menſes* à tempore ſuſcepti Presbyteratûs (*niſi fuerint Canonicè impediti*) tenentur; ita præſcribunt *Conſtitutiones Provinciales* WEZYKOVIANÆ in Regno Poloniæ *Annô* 1628. *editæ lib.* 3. *fol.* 226.

14. Clericus utens veſtibûs variegatis ſive diverſi coloris = per *ſex Menſes* manet ſuſpenſus à perceptione fructuum ſui Beneficii, & incurrit alias pœnas ſancitas *in* Clem. 2. *de vita & honeſt. Clericor.*

15. Quum novi Sacerdotes cum Epiſcopo celebrant, non debent *intentionem* ſuam ita conformare, ut intelligant ſe conſecraturos eo momento quo Epiſcopus extrema verba protulerit, ſive ipſi antè; ſive poſteà Formam compleverint, tunc enim *effectus Formæ* remaneret *in ſuſpenſo*, ſed debent eſse ita animô comparati, ut omne ſtudium ponant perficiendi ultima verba cum Epiſcopo, atqué ita: unà cum eo conſecrent. Ex quo fit, ut ſi non ita jungant ſua verba cum Epiſcopo: non conſecrent, cùm non habuerint *intentionem* conſecrandi.

16. Si quis *Patrimonium* ſuum fictum eſse ſciat & nihiloſecius Ordinationem recipiat, manet ſuſpenſus, per *can.* Neminem. *Diſt.* 70. *can.* Sanctorum Canonum. *ead. Diſt.* tum ex Decreto *Sacræ Congregationis Annô* 1610. Si verò id neſciat, ſciat autem Ordinarius, & tamen ordinet: Ordinans quidem ſuſpenſionem non incurrit, tenetur autem de proprio Ordinatum alere, ex vi eorundem Canonum & conformi ſenſu *Sacræ Congregationis Concilii* §. 16.

17. In Sacra Congregatione *die* 31. *Martii. Annô* 1685. agitatum eſt, num Clericus qui falſaverat *Teſtimoniales* Ordinum præcedentium, adeòqué metu Cenſurarum quæ in eo caſu comminari ſolent in Edicto: habuit intentionem non ſuſcipiendi Ordinem *Subdiaconatûs* qui tunc ſibi ab Epiſcopo conferebatur; re ipſa Ordinatus eſſet nec ne? Reſpondit verò *Die* 24. *Auguſti Annô eodem.* = *Eſſe iterum Ordinandum ſub conditione, namqué pro illa animi perturbatione qua agitabatur Clericus non ſatìs conſtare poterat,*

utrum

utrum verum animum suscipiendi Ordines habuerit. ita dicta *Congregatio.* §. 13.

18. Cùm *malè* promotis ad Ordines & signanter cum promotis per saltum, in Casibus occultis *Major Pœnitentiarius* dispensare potest, ad effectum: ut omissos Ordines occultè suscipiant, à quolibet Episcopo, etiam extra Tempora, non servatis Interstitiis, & absqué Dimissoriis, non ita tamen: ut plures Ordines Sacros eodem die suscipiant. Sic expresè referente Bulla = PASTOR BONUS. *Bullar. Tom. 1. n. 95.* §. 18.

19. Is dispensat etiam cum promotis ad Sacros Ordines *per Simoniam,* in Casibus tamen *occultis* & in Foro *Conscientiæ* tantùm. *Ibid.* §. 19.

20. Qui *bona fide* ante legitimam ætatem Ordinatus fuit, non potest nisi ipsa impletâ respectivum Ordinem exercere, tum à fortiori qui *mala fide* etiamsi in Irregularitate Dispensationem obtinuisset, cætero-quin aliorum Ordinum sive Ordinis Officia quibûs debitè Ordinatus extitit bene poterit exercere.

21. In Ordinatione si aliquid omittatur, quod sit vel dubitetur ese de substantia; totum debet iterari, quia non dicitur iterari quod dubitatur esse factum. *can.* Solemnitas. *Dist. 1.*

22. Si autem clarum est qùod non de substantia, non debet iterari, verùm statuto tempore cautè suppleri. *c.* Pastoralis. *eod. Tit.* Unde quando omissum est aliquid debet suppleri per Eum; qui ordinavit, si fieri potest, sive per alium si non potest, servato Ritu in *Pontificali* expreso. Debet autem sic suppleri ut suppleatur tempore Ordinationis. *jux. Card. Hostien.* scilicet qùod patiens defectum aliquem in Ordine quem suscepit commissum, veniat quasi ministrans Episcopo, & non sit intentio Episcopi reiterare sed solùm supplere, ita: qùod fiat sine scandalo quantùm est possibile, & is non exequatur Officium Ordinis; usquéquò non fuerit suppletum. *d. c.* Pastoralis. *de Sacram. non iter.*

23. Si Episcopus faceret actus, & alius diceret verba in Ordinatione, nihil faceret, eò quia Sacramenta sunt unitatis, quæ divi-

dividi non possunt. *can.* Quia passus. *de Consecr. Dist.* 2. fallit tamen in Minoribus Ordinibus. *can.* Acolythus. *Dist.* 23.

24. Qui coactè contra suam voluntatem ordinatur, non est ordinatus quia non intendit facere quod facit Ecclesia, sicut dictum est, neque reciperet Baptismum. per *can.* Majores. *de Bapt. & ej. eff.* in fine, ubi Pontifex simile fert judicium *respectivè* ad alia Sacramenta in verbis ibi = *tunc ergo Characterem Sacramentalis imprimit operatio; cùm obicem voluntatis contrariæ non invenit obsistentem.*

25. Quòd si porro ordinaretur contra voluntatem suam non *absolutè*, quia nollet quidem: nihilominùs tamen quia mandatur ei sub aliqua pœna: est suo modô contentus, & acceptat, eò quòd recipit Ordinem, quia intendit ordinari magis quàm talem inobedientiam incurrere, unde poterit quis ad hoc cogi per Superioris præceptum, exempli causâ ad Episcopatum & ad Curam animarum secundùm plures *DD.* teneturq; obedire, nisi adsit legitimum impedimentum. Ad eum effectum venit intelligendum illud Sacratissimarum Legum *Justiniani* Imperatoris 31ma. *de Elect. Episc.* inscripta. *C. de Episc. & Cleric.* = *precibûs ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas ordinandi. Profectò. enim* INDIGNUS EST SACERDOTIO; NISI FUERIT ORDINATUS INVITUS. Prætereàqué sine necessitate cogens invitos ad Ordines manet puniendus. *can.* Gesta quæ *Dist.* 74. *c.* Perlatum. *de His quæ vi metvè cau. fi.*

26. Ordinatus ex metu *cadente in constantem virum*: non censetur exinde teneri ad servandam continentiam, si non vult; quia continentia non debet alias obstringere, nisi voluntaria. *can.* Ante triennium. *Dist.* 31. utpote res magis *Voti* quàm *Præcepti. can.* Integritas. 32. *qu.* 1.

27. Ast si talis non habebat Uxorem quando fuit Ordinatus, tenetur consentire, per *can.* De judæis. *Dist.* 45. quòd si habebat quando Ordinatus fuit & ipsa velit continere; ipse etiam tenetur continere, propter Ordinem Sacrum quem recepit.

Reliquum nunc restat ut ad *Sacramenti Matrimonii* materiam ulterior tractatio dirigatur.

§. 7mus.

§. 7mus

De Magno Matrimonii Sacramento.

Ad Decreti Partem I. Dist. XXVII. Partem II. Causas; *XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. XXXII. XXXIII.* Decretal. Gregor. *Lib. IV. Titulos fere omnes. Similiter* in Sexto. *Lib. IV.* Instit. *Lib. II. Tit. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI.*

Considerari MATRIMONIUM potest sub *triplici* ratione; vel ùt est Contractus *naturalis* in officium naturæ, vel Contractus *Civilis*, vel denique ùt SACRAMENTUM Novæ Legis, ex quo etiam suum habet, distinctum quidem; sed idoneum & subordinatum huic *triplici* rationi correspondentem finem. *Et sic:* quatenus *Officium naturæ* ad propagationem & conservationem humani Generis ordinatur, ùt *Contractus Civilis* Reipublicæ paci & tranquillitati consulit, amicitas, affinitates, fœdera, inter Cives amplificando = prout *Sacramentum Novæ Legis* Conjuges Gratiâ exornat, Ecclesiam ditat pia & fideli prolis educatione, concupiscentiæ frænum injicit, ac procurat remedium, in hunc sensum ait *Concilium Moguntinum Annô MDXLIX. cap. XXXVI.* Ante omnia autem opus esse censetur, *quid sit?* statuere, videtur sic posse definiri = *Est Contractus Viri & foeminæ legitimus, quo mutua corporum traditur potestas, Gratiæ spiritualis collativus.* Sive denique prout *in c.* Illud quoque. *de Præsumpt.* & pluribus aliis locis apud *Canonistas* definitur = *Maris & foeminæ legitima conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens.*

Inter alia Sacramenta meruit adnumerari, contra *Hæreticos* & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ infestos, negantes illud esse Sacramentum, quos novissimè *Concilium Tridentinum* anathemate perstringit *Sess. 7mâ. can. 1. de Sacram. in gen.* & *Sess. 24. can. 1. de Matrim.* de quo etiam in Decretalibus GREGORII; LUCIUS III. Pontifex passim *per tot. c.* Ad abolendam. *de Hæret.*

Quinimò cæteris ratione *loci, temporis, amplitudinis* atque *My-*

sterii

ſterii Sacramentis præſtat, unde ab Apoſtolo *ad Eph. 5. ℣. 32.* MAGNUM SACRAMENTUM in CHRISTO & ECCLESIA compellatur, eò qùod cæteris ratione *loci, temporis, amplitudinis* atqué *Myſterii* præſtet Sacramentis. *Loci:* ſiquidem primariò ordinatum fuit in Paradiſo, eaqué *duplex* fuit illius Inſtitutio. *1ma* in Paradiſo pærprimìs, ùt dictum, eſt ad hoc: ut eſſet immaculatus thorus & honorabiles nuptiæ, ex quibus ſine ardore concupiſcentiæ conciperent. *2dâ.* propter illicitum motum eliminandum extra Paradiſum facta eſt, ut infirmitas prima in ruinam turpitudinis; honeſtate exciperetur Conjugii, teſte Apoſtolo *1mâ Corint. 7mo. ℣. 2. 3. 4. & 5to.* jam verò apud Gratianum *can.* Sicut non omnis. 32. *qu. 2.* §. His ita reſpondetur. = *Temporis;* quia ab Orbis primordio à DEO Ipſo fuit inſtitutum. Gen. 2. ℣. 28. *Creſcite & multiplicamini &c.* = *Amplitudinis.* quia ſaltim *præcisè* prout eſt *Contractus* quidam *Civilis* inter infideles etiam conſiſtit, ſecundùm Apoſtolum *1mâ Corint. 7. ℣. 13.* INNOCENTIUS III. *c.* Gaudemus. *de Divort.* *Myſterii* tandem: eò, quia animorum conſenſus *Charitatem* ſignificat, quæ conſiſtit in ſpiritu inter DEUM & juſtam Animam ſive *Eccleſiam.* Corporum verò *commixtio* Conjugium deſignat quod inter CHRISTUM & ECCLESIAM per INCARNATIONIS Myſterium eſt contractum. *c.* Debitum. *de Bigam. non ordinan.* Siquidem Matrimonium præter alia Bona fuit inſtitutum præcipuè causâ educandæ ſobolis, ut ſcilicet: *amanter* ſuſcipiatur & *religiosè* educetur ad præſcriptum *can.* Omne itaq; 27. *q.* 7. ubi S. AUGUSTINUS triplex bonum Conjugii fuiſse in Parentibus CHRISTI DOMINI ſeorſivè enumerat, nempe: *Prolem, Fidem & Sacramentum.* = Per prolem cognoſcimus Ipſum DOMINUM nempe JESUM. Sic Ille in dicto *Canone* = Affertur ſimiliter cauſa. *can.* Sicut. §. *His ita. 32. qu. 2.*

De *Materia & Forma* ac præſertim de Materia *proxima* Sacramenti Matrimonii: nihil ad hodie definitum eſt ab Eccleſia, unde tanta Opinionum varietas & diſſonantia naſcitur, ſalva ſemper & integra Sacramenti iſtius veritate.

MATE-

MATERIA remota Sacramenti Matrimonii ſunt corpora, proxima verò *Actus Contrahentium*, & prout ſibi mutuò Corpora tradentium. FORMA tandem verba quibûs Sacerdos eos in Matrimonium conjungit.

Sententia proin quæ aſſignat Epiſcopum vel Sacerdotem pro *Miniſtro* Sacramenti Matrimonii; vero magis accedit & probabilior eſt. ⥱ Ille ſiquidem videtur eſſe Miniſter Sacramenti Matrimonii; qui eſt Miniſter Benedictionis *eſſentialis* ac omnino *neceſſariæ* ad obtinendam Gratiam hujus Sacramenti, & qui verè Contrahentes conjungit in Matrimonium, talis utiquè eſt Epiſcopus vel Sacerdos, quod clarè demonſtratur ex Concil. Triden. *Seſs. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.*

Eandem *Sententiam* paulò ante Concilium Tridentinum amplexi ſunt Patres *Concilii Colonienſis* Annô MDXXXVII. *part. 7. cap.* 40. quorum hæc verba ſunt ⥱ *Quod Sacramentum Matrimonii: ſi quis ſicut decet acceperit; accedente Sacerdotali precatione confert Donum* SPIRITUS SANCTI, *quo Vir diligat uxorem amore caſto; ſicut CHRISTUS dilexit Eccleſiam.* ⥱ ubi per verba ⥱ *accedente Sacerdotali precatione:* manifeſtè demonſtratur mentem hujus Sanctæ Synodi hanc eſſe ⥱ Sacerdotalem precationem ſeu verba quibûs in celebrando Matrimonio utitur Sacerdos, eſſe Formam hujus Saccramenti, qua poſitâ confert Donum SPIRITUS SANCTI. Et in *Enchiridio* quod juſsû ejusdem *Concilii* editum eſt, *c. penult.* de Matrimonio dicitur ⥱ *Quantò magis putandum eſt, in nova Lege, Sacerdotes qui legatione pro eo funguntur; legitimos hujus Sacramenti Miniſtros eſſe.* Inſuper poſt Concilium Tridentinum confirmata fuit eadem Sententia in pluribus Conciliis Provincialibus ⥱ utpote in *Cameracenſi* quod refert *Sylvius Annô* 1567. *cap.* 1. *Cùm conſtet* (inquit) *in Matrimonio habendam eſse rationem non ſolùm Divinæ Conſtitutionis, ſed etiam Sacramenti & Gratiæ quam in Illo conſequuntur Fideles, admonendos eſſe duximus* PAROCHOS *hujus* MINISTROS. &c.

In *Remenſi* Annô 1583. ⥱ *Nuptiis* (inquit) *rite completîs ita ſe componant Conjuges, ut putent;*

 ſe

ſe non à Sacerdote ſed per eum à CHRISTO Conjugiorum Præſule conjunctos.

In *Turonenſi Annô eod.* 1583. ſimilis forma celebrandi Matrimonii præſcribitur quæ in Tridentino. In *Aquenſi* 1585. *Mexicano* ejusdem Anni. *Rothomagenſi* Annô 1581. = *Avenionenſi* An. 1595. *Mechlinen.* An. 1607. eadem pariter forma legitur præſcripta.

His ſi adduntur *Ritualia* = *Romanum* vetus *Ann.* 1494. collectum per Albertum *Caſtellanum Dominicanum* = hæc habet = *Contrahabentibus reſpondentibus ſe nec affines nec conſanguineos &c.* = *Sacerdos pronuntiet verba quæ ſunt* FORMA *hujus Sacramenti.* Alterum *Romanum* juſsû PAULI V. editum, in Præfatione; inter Sacramenta quorum adminiſtrationem ait pertinere ad Parochos, recenſet *Matrimonium.* Et in omnibus editis ab *Anno* 1589. Ritualibus Romanis hæc verba à Sacerdote proferenda notantur = *Ego vos conjungo.* Qui Ritus in omnibus fere particularium Eccleſiarum Ritualibus Libris præſcriptus quoque legitur. Unde in *Manuali Atrebatenſi Annô* 1600. dicitur = *Sponſus & Sponſa debent fieri Conjuges, dicendo* = *Ego vos conjungo.* Manuale verò *Iprenſe Anni* 1576. & *Mechlinenſe Anni* 1589. jubet ut Sacerdos tanquam Eccleſiæ Miniſter dicat = *Vos in Matrimonium conjungo.* = In Rituali *Mediolanenſi* præſcribente S. CAROLO BORROMÆO *Actorum parte* 4. dicitur = *Quinque duntaxat eſse Sacramenta quæ Parochus ex Officio adminiſtrare poteſt* = *Baptiſmum, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Matrimonium & Extremam Unctionem.* Plura in rem eandem brevitatis causâ hìc miſſa ſunto. Videatur *P. Martene.* de antiquis Eccleſiæ Ritibus *tom. 2. par. 2. Lib. 1. cap. 9.* ubi laudat in rem eandem *pag.* 639. Ordo XIII. Rituale *Remenſe pag.* 645. ibi = Ordo XIV. Rituale *Leodienſe pag.* 948 Ordo XV. = *Ambroſianum* juſsû Cæſaris Montii Cardinalis & Archiepiſcopi Mediolanenſis editum.

Hinc eſt: quòd quametsi *ſecundæ* & ulteriores Nuptiæ carent quidem Benedictione *accidentali* quæ intrà Miſſarum Solemnia à Sacerdote pronuntiatur mox poſt dictum in Canone = *Libera nos quæſumus.* quod incipit ab his

ver-

verbis in Missali Romano expressis = *DEUS Abraham, Deus Isaac & Deus Jacob, sit vobiscum, & Ipse adimpleat benedictionem suam in vobis:* &c. sive Benedictio Nuptiarum *Canonicè* non fiat *in Missa* sed extra illam, incipit ab illis verbis *in Rituali Synodi Provincialis*, Ecclesiarum Regni Poloniæ & M. Ducatûs Lithuaniæ = *Propitiare Domine*. ubi Sacerdos ultra prosequendo dicit in fine = *Benedictio DEI Omnipotentis* &c. Ast non carent alia Benedictione *essentiali*, per quam Sacerdos tanquam DEI & Ecclesiæ *Minister* Conjuges in Matrimonium conjungit, & quæ talis est = *Quos ergo DEUS conjunxit, homo non separet. Et ideo Matrimonium inter vos contractum, Ego authoritate Ecclesiæ Catholicæ confirmo & benedico.* sive quod dicere debeat præsertim in secundis vel tertiis &c. Nuptiis Sponsæ: *ratifico. In Nomine Patris* &c.

Causa verò & ratio cur *secundis* & ulterioribus Nuptiis deneget Ecclesia *Benedictionem* illam, *duplex* est potissimùm. 1*ma*. quia secundæ & ulteriores Nuptiæ quandam præseferunt incontinentiæ speciem, à qua procul omnìno abest Castissima CHRISTI Sponsa, unde pœnitentiam imponebat olim secundò nubentibus & Benedictionem denegabat, ut magis inde suum ad continentiam studium & amorem significaret. Hanc rationem & causam nitidè exponit *Rituale Leodiense* apud præfatum *Patrem Martene* de antiquis Ecclesiæ Ritibus *tom. 2. par. 2. Ord. XIV. pag. 647.* in hæc formalia verba = *Hanc benedicendi formam* (inquit) *non impendet Sacerdos secundis Nuptiis sed primis duntaxat, non quidem quòd secundæ Nuptiæ non verum legitimum Matrimonium contineant, sed quòd non tam perfectè sicut prima* CHRISTI DOMINI *unius Sponsi cum sua Ecclesia unicam ac simplicem repræsentent conjunctionem.* 2*da* ratio erat, quia Benedictio hæc instar est cujusdam Consecrationis, cujus finis est fœcunditas mulieris. Cùm igitur Consecratio non interetur, & mulier quæ jam nupsit fœcunditatem adepta præsumatur, non repetitur illa *Benedictio* quæ tota tendit ad impetrandam fœcunditatis gratiam. Rationem hanc reddit *Concilium Lateranense III.* sub ALEXANDRO III. *Tit. de secund. Nupt. cap.* 1. *tom.* 10. *Con-*

cilior. pag. 1597. *Vir* (inquit) *vel mulier ad bigamiam transiens non debet à Presbytero benedici, quia: cùm alia vice benedicti sint, eorum Benedictio non debet iterari.*

MINISTER ante Concilium *Tridentinum* non erat necessarius, quia poterat esse verum Matrimonium sine Ministro. At verò *Sess.* 24. *cap.* 1. *de Reform.* est annullatum Matrimoninm *clandestinum*, & statuitur = ut nisi adsit Ordinarius, *vel Curatus, Parochus*, & ad minùs *duo* Testes, tunc *nullum* sit Matrimonium, quia eorum assistentia pertinet ad *essentiam* Matrimonii tanquam Ministri & Testium, non tamen anteà pertinebat, adeò: ut in nullo prorsus casu post *Concilium Tridentinum* in iis locis in quibus receptum fuit valere possit Matrimonium *clandestinum*, eò: quia Lex hæc est generalis absqué ulla prorsus exceptione. An verò Matrimonia *clandestina* illicita & irrita fuerint ante *Concilium Tridentinum?* quantùm *ad* 1*mum* semper illicita fuisse & contra Ecclesiæ Leges Matrimonia clandestina ait dicta *Synodus Tridentina* locô sæpe citato *Sess.* 24. *cap.* 1. = *Sancta DEI Ecclesia: ex justissimis causis illa semper detestata est atqué prohibuit.* Prohibitionis istius tot sunt argumenta, quot extant Ecclesiastici *Canones*, ex quibus clarè elicitur, omnino ad hæc requiri, ut Matrimonium coram Ecclesia publicè & cum Benedictione Sacerdotis; nequé alìas nisi cum illa adhibita: celebretur, ad quod legantur Sacri *Canones* frequentes & multi, prout *can.* Aliter legitimum. *can.* Nullus fidelis. *can.* Nostrates. *can.* Qualis debeat esse. *can.* Sponsus. & *can.* Nullum. Scilicet *sex* priores Canones Causæ *XXX. qu. V.* in quibus *Gratianus* vetera eam in rem Statuta dilucidè collegit.

Quò verò *ad 2dum* num irrita? non consentiunt inter se Theologi, verùm quidquid fit de hac postrema Sententia quæ tota est *facti;* bellè certum esse videtur minimè à *Concilio Tridentino* tanquam *de Fide* fuisse definitum, clandestina illa Matrimonia semper *rata & valida* fuisse; hæc sunt prætacta Concilii prædicti verba =

Ultra hæc *in genus 3plex est* Matrimonium. *Legitimum* tantùm, quod solo consensû perficitur,

ùt

ùt inter infideles, aſt non poteſt conſiſtere Sacramentum. *Legitimum & ratum* ùt inter Fideles quod eſt *Ratum* ideſt *firmum* etiam ante copulam, nequé habet rationem talis cùm contrahit Fidelis cum infideli. = Tridentinum *Seſs.* 24. Aliud dicitur *Conſummatum* quod per copulam perficitur.

SUBJECTUM Sacramenti Matrimonii per verba *de præſenti* ſolemniter ineundi ſunt *Vir* pubes & *Mulier* viripotens, baptizati, ſimul invicem conſentientes in mutuam atq; indiſſolubilem vitæ ſocietatem. Aliud enim eſt dicere de Sponſalibus quæ Matrimonium *de futuro* quandoqué ſolent appellari. *Puberes* ii dicuntur qui annum quartum ſupra decimum compleverunt. *Viripotentes.* quæ annum duodecimum. Pubertas ipſa judicatur non tam ex annis; qùam corporis habitu. *c.* Puberes. *de Deſponſat. impub.* itaq; ſi malitia ætatem ſuppleat; etiam minores ea ætate contrahere poſſunt. *d. c.* Puberes. & *c.* Ubi non eſt conſultus. *de Deſpoſat. impub.* Idem permittitur aliquando urgente neceſſitate, veluti: *pro bono pacis*: ùt in *ſæpe dicto c.* Ubi non eſt conſenſus.

Tametsi interveniente Parocho tanquam *Miniſtro* & aſſiſtentiâ Teſtium debita, ſolo legitimo Viri & mulieris conſenſu Matrimonium & Nuptiæ contrahuntur, verba tamen quò ad Eccleſiam præſentem conſenſum exprimentia ſunt neceſſaria, ſi Contrahentes loqui poterunt, aliàs: ſigna ſufficiunt. *c.* Tuæ Fraternitati. *de Sponſal. & Matr.* verba ad exprimendum conſenſum Matrimonii ſive Nuptias apta, ſunt hæc: vel ſimilia = *Ego te in meam Uxorem accipio*, & = *Ego te accipio in meum Maritum.* ſive: hujuscemodi conſenſum *de præſenti* ſaltim ſignificantia. *c.* Ex parte. *de Sponſal. & Matrim.* Verba verò in Matrimonio contrahendo per alterutrum Contrahentium inquantùm ſi ſunt obſcurè prolata, accipienda erunt ſecundùm communem intellectum. *c.* Ex literis. *de Sponſal. & Matrim.* plura videre eſt. *can.* Sufficiat. 27. *qu.* 2 *c.* Cùm apud Sedem. *de Sponſal. & Matrim. c.* Cùm locum. *eod. Tit. c.* Tuas dudum. *de Sponſa duor.*

Impe-

Impedimenta & causæ quibûs Matrimonium impeditur imò quæ non solùm impediunt Matrimonium, sed etiam *dirimunt*, secudùm Jus antiquum sunt XII. secundùm verò jus novum sunt XIV. nam *Concilium Tridentinum* duo addidit, scilicet: *Raptum* & defectum præsentiæ Parochi & Testium, quæ omnia & singula Impedimenta his continentur versibûs ⇌ *Error, Conditio, Votum, Cognatio, Crimen, Cultûs disparitas, Vis, Ordo, Ligamen, honestas, Ætas, affines, si: Clandestinus & impos. Raptavè sit Mulier; nec parti reddita tutæ.*

Inter hæc: alia *dissolvunt* sive dirimunt, à quo *dirimentia*; alia Contractum duntaxat *impediunt*; unde *prohibentia* vocantur. Ex illis porro Impedimentis *dirimentibus* nonulla sunt Juris *naturalis* hoc versû comprehensa.

Mens ægra; & Conjunx: vis, error,
inertia, sanguis.

Alia verò Juris duntaxat *Ecclesiastici*, quæ his versibûs continentur. ⇌

Ordo Sacer, Votum, necnon: *Sponsalia firma,*
Atquê duplex Crimen, quadruplex Cognatio, Raptus,
Si Baptisma deest, ætas, Testes Parochusvè.

Insuper: *simpliciter prohibentia* dicuntur ea, quæ illicitum faciunt Conjugium, *impediuntquè* ne contrahatur, sed *non dirimunt* contractum.

Ligamen quòd dirimat Matrimonium posterius non solùm jure *Ecclesiastico* sed etiam *naturali & Divino;* constat *ex c.* Duobus. *c.* Licèt præter. *& cit. c.* Tuas dudum. *de Sponsa duor. cit.* *item c.* Gaudemus *de Divort.*

Impedimenta porro quæ impediunt sed non dirimunt sunt in *duplici* differentia: etenim alia sunt quæ *non* proveniunt *ex delicto*, alia verò quæ *ex delicto* proveniunt. Priora sunt *quinque* & continentur in his versibus ⇌

Ecclesiæ vetitum, necnon: *tempus feriatum,*
Atquê *Catechismus, Sponsalia,* jungito *Votum,*
Impediunt fieri; permittunt facta teneri.

Impedimenta verò *impedientia* quæ oriuntur *ex delicto* sunt *septem*, in his versibus continentur ⇌

Incestus. Raptus Sponsatæ, Mors mulieris,
Susceptus propriæ Sobolis, Mors Presbyteralis,
Vel: si *pœniteat solemniter; aût Monialem*
Accipiat, prohibent hæc Conjugium sociandum

Disparitas Cultûs propriè est inter baptizatumChristianum & non Christianum seu infidelem.

Olim

Olim non fuit semper Impedimentum *dirimens*, imò ab ætate S. Augustini Legibus Imperatorum ipsa concurrente ac consentiente Ecclesia ad hæc usque tempora Impedimentum isthoc inductum fuisse, latè demonstrat Decretum *Gratiani Causâ 28. qu. 1.* ex quo: inferre licet; præsens istud Impedimentum juris esse *Ecclesiastici*.

Jam verò hodie non viget, sublatum est Impedimentum *Catechismi*, quod priùs ligabat eos, qui Infantem ritè jam baptizatum suscipiebant, ut circa eum supplerentur omissæ *Cæremoniæ*, quæ dicuntur *Catechismus*.

Pro intelligentia *Capitis 1mi Concilii Tridentini Sess. 24. de reform.* = Matrimonium potest dici *tripliciter* clandestinum. *1mò.* quando deficiunt Testes. *2dò.* quando præsentia Parochi. *3tiò.* quando tres denuntiationes in Ecclesia. *Primum* si contrahitur sine Testibus, licètsi cum præsentia Parochi, est clandestinum, *irritum & nullum*. Similiter si cum Testibus & sine præsentia Parochi: licèt cum præsentia alterius Sacerdotis, non tamen de licentia Parochi vel Ordinarii, = *est clandestinum*. Concil. Trident. *loc. cit.* §. *Qui aliter quàm præsente Parocho &c.* Declaratio *Sacræ Congr. n* 68. ubi expréssè dicit = *quod ab Episcopo debet declarari irritum & nullum*. Si verò deficient Denuntiationes; dicitur *clandestinum*. Rebuf. *pract. Benef. in reg. de Dispensat. in Grad. prohib. gl. 5. n. 54.* & tenet. Matrimonium, sed hoc si omissæ fuerint cum Licentia *Ordinarii*, vel sine illa, nam Ordinarius potest omittere unam, vel duas, vel omnes Denuntiationes, si id sibi expedire visum fuerit. Concilium idem *loc. cit. verb.* = Quòd si quis. Navarrus *Consil. 22. n. 70.* & *alii*.

Per *Parochum* censendus venit, Is, qui habet *Ordinariam Jurisdictionem* in Contrahentes, utpote qui *Domicilium* & habitationem in ejus Parochia contraxerunt; *Item* Episcopus vel Ejus Vicarius in sua Diœcesi, utì & Papa, item Capitulum Sede Vacante, Cardinales in Ecclesia sui Tituli, Legati in sua Provincia. Imò quandoq; sufficit si habeat Titulum saltem *coloratum*, ita ut communi

errore habeatur *Parochus*, nec sit intrusus absqué omni Titulo, etiamsi sit *excommunicatus*. *Parochus* tandem vel quivis habens jurisdictionem Ordinariam, ex *rationabili causa* potest alium sibi substituere, non tamen *nisi Sacerdotem*; Consultius siquidem est, *& prout in praxi:* qùod Parochi nondum Sacerdotes ab hoc Officio administrandi Sacramentum Matrimonii abstineant, illudqué alii Sacerdoti committant, nam probabilissima *Sententia est*, quæ statuit Sacerdotem esse MINISTRUM Sacramenti Matrimonii, FORMAM *essentialem* efse verba ab ipso in Copulatione Conjugum prolata. ⁼ *Ego vos in Matrimonium conjungo.* Et datô; qùod ipsemet *Parochus* posset interesse *Contractui Matrimonii:* licètsi fuerit Sacerdos, committere tamen non posset alteri vices suas ad hoc, alteri certè non Sacerdoti, ùt deducit Navarr. *Cons.* 30. *n.* 5. *in fin. de Sponsal. in antiqu.* Imò nequé Episcopum posse committere tales vices, alteri qùam Sacerdoti: ostendit *id.* Navar. *Cons.* 44. *ib. apud* PIASECKI, *prax. Episcopal. par.* 2. *cap.* 4. *art.* 4.

Utriqué Conjugi post contractum Matrimonium sed nondum *consummatum* concessum fuit spatium duorum Mensium *ad deliberandum* de Ingresu in Religionem, quo tempore uterqué Conjux potest alteri petenti negare *debitum*, & licitè potest *Religionem* ingredi, etiamsi *altero invitô*. Elapsô verò *bimestri*; peccaret non reddendo *debitum* petenti. Nihilominùs, si elapso bimestri *Religionem* ingrediatur & profiteatur ante consummatum Matrimonium; validè profitetur & Matrimonium antecedens dissolvitur, nam Matrimonium ratum non consummatum dissolvitur per solemnem Professionem *Religionis approbatæ*, itaqué etiam dissolvitur in proposito casu, cùm Matrimonium sit tantùmmodò *ratum*, quamvis *deliberatio* ingrediendæ Religionis facta fuerit post bimestre. ùt bene ait Perez. *de Matrim.* §. 18.

Quum materia hæc sit locupletissima; solùm collecta hìc ea, quæ sunt frequentiori praxî indies consideranda obveniunt. Appositè præmissis correspondent sequentes ⁼

RESO-

RESOLUTIONES CASUUM.

1. *Conditionata* Matrimonia de præsenti vix jam possunt accidere post Concilium Tridentinum, secundùm quod (ùt dictum) clandestina Matrimonia annullantur, in *Sponsalibus* quæ possunt fieri *clandestina* & sine omni solemnitate censentur facilè accidere.

2. Validè contrahunt *steriles*, eò quia etsi sint impotenets ad generationem: non tamen ad copulam, atqué adeò sunt capaces omnis Juris & obligationis Matrimonii, tum & qùod susceptio prolis licèt sit *præcipuus*; non tamen *unicus* nec immediatus finis Matrimonii, eadem est ratio de iis quæ non edunt fœtum nisi cum periculo vitæ propriæ; vel nisi mortuum.

3. Explicanda est in Confessione Sacramentali circumstantia *Personæ* circa quam fuit *delectatio*, namqué: delectatio de *Uxore* alterius habet malitiam adulterii contra castitatem & contra justitiam. = delectatio *de consanguinea* non solùm habet malitiam stupri aut fornicationis sed etiam Incestûs, & delectatio *de Moniali* non solùm habet malitiam simplicis fornicationis: sed etiam sacrilegii.

4. Parochus aut alius cognoscens fœminam quam baptizavit, committit Incestum ratione Cognationis Spiritualis, consurgentis ex collatione Baptismi.

5. Hoc loco addi potest = etiam *Parochum* habentem copulam cum *sua Parochiana* committere speciale peccatum, etiamsi eam nòn baptisârit, peccat namqué contra proprium Officium, eò: qùod ei specialiter incumbat Cura procurandæ *salutis* suorum *Parochianorum*, & teneatur ex Officio *Oves sibi subjectas bonis moribûs imbuere.*

6. *Furor* impedit Matrimonium contrahendum; non tamen contractum dirimit. *can.* Neq; furiosus. *32. qu. 2. c.* Dilectus Filius. *de sponsal. & Matrim.*

7. *Lepra* non impedit Matrimonium, non compelluntur tamen ad Matrimonium contractis Sponsalibûs inter Ipsos, leprâ pòst superveniente. *c.* Pervenit. *c.* Quoniam. *sequ. de Conjug. leprosor.*

8. *Procurator* Matrimonii ad hoc *specialiter* constitutus *substituere* non potest, nisi hoc ei specialiter commissum fuerit. *c. final.* de Procurat. *In Sexto.* Imò si talis Procurator etiam revocatus *ignoranter* contrahat; non tenet Matrimonium. *eod. c. in Sexto.*

9. *Paganus* si priùs plures habuisset Uxores & posteà convertatur, post Fidem susceptam adhærebit *primæ.* ad præscriptum *c.* Gaudemus. *de Divort.*

10. Si alter infidelium Conjugum convertatur, & antequam alteri *Ipse conversus* legitimè conjunctus fuerit, sive quoqué convertatur, debent se *invicem* recipere. *d. c.* Gaudemus. *ibi* = Quòd si conversum ad Fidem.

11. Tempore *Interdicti* potest *Parochus* Nuptias benedicere *licitè*; nempe Sacramentum Matrimonii *administrare publicè & solemniter*, januîs scilicet Ecclesiæ apertis, & alta voce, in illis Festivitatibus in quibus tempore *Interdicti* ex annexo & *speciali* Privilegio licitum est celebrare *Divina Officia* solemniter, quales Festivitates expressæ continentur. *in c.* Alma Mater. *de Sent. Excom. in Sexto.* Scilicet: Festum Natalis DOMINI, Paschatis, Pentecostes, Ascensionis DOMINI, CORPORIS CHRISTI cum tota Octava. Hoc tamen intelligendum est quatenus ex parte *Interdicti*, ùt Censuræ Ecclesiasticæ, *Interdicti* nimirum *Localis*: quia tunc *Officia Divina* pemittuntur, secus autem ex parte *Temporis*, si alìas sit prohibitum, quale est = Ab Adventu DOMINI nostri JESU CHRISTI usqué in diem Epiphaniæ, & à feria 4ta Cinerum; usqué in Octavam Paschatis, inclusivè = ex *Concil. Trid. Sess.* 24. *de Reform. cap.* 10.

12. Si Vir dicat = *ex nunc* = vel = *semper* = vel = *omnibûs diebus vitæ meæ volo deinceps* = vel *postbac* = vel = *ab hoc tempore habebo te* = vel *tenebo te in Uxorem.* = vel = *Volo habere te & tenere in Uxorem.* = vel = *Providebo tibi sicut Uxori.* = vel = *Eris mea Uxor.* = & Fœmina consentiat; in assistentia Matrimonio debita, erit Matrimonium *de præsenti.* quia licèt si hujusmodi verba quò ad formam & prout sonant sint. *de futuro*, significant tamen Consensum *de*

præ-

præsenti, ratione adjuncti: propter dictiones scilicet & particulas illas adjunctas = *exnunc*. vel = *semper* vel = *omnibûs diebus vitæ meæ*. vel = *deinceps* = vel = *posthac*. = vel = *ab hoc temporis*. *can*. Si quis Divinis. *30*. *qu*. *5*. *c*. Ex parte. *de Sponsal*. *&c*. *DD*.

13. *Absolutè* & per longum tempus, aut ubi Neosponsi instarent, non licet Matrimonium detinere, propterea: quòd donec *Christianam Doctrinam* Contrahentes didicerint: sed expedit suaviter & absqué violentia ad breve tempus impedire, ut sic Doctrinæ addiscendæ curam habeant. ita definivit *Sacra Congregatio Concilii*. *Die 6ta Martii A. D.* 1588. imò idem censuit & contra non addiscentes, solùm esse admonitionibus etiamsi *comminatoriîs*; suaviter tamen & cum *prudentia debita* procedendum.

14. *Parochi duo* quorum *unus* copulet Sponsos præsertim qui est Parochus Sponsæ, *alter* assistat, possunt adesse Matrimonio ejus; ubi si quis Sponsorum dimidia Anni parte in *una* Parochia; *altera* dimidia in alia habitare consuevit. Navarr. *Consil*. *7*. *n*. 3. *de Clandest*. *desponsat*. *in novis*. Ubi verò inæqualitas habitationis datur; majoris temporis pars eum facit Parochum, in quo habitatio fit. Barbosa *alleg*. *32*. *n*. *69*.

15. Si *pestilentiæ* grassantis tempore: tam diebûs Festivis quàm profestis sive ferialibûs, Ecclesiæ frequentatione populi ad Divina audienda ex hac causa destituantur, nolintq; Sponsi in tanta Matrimonii *dilatione* ex causa etiamsi levi consentire; non tenentur expectare liberationem *à peste*, sed possunt Parochum cogere pro Matrimonio celebrando, juxta ea quæ de *Parocho* circa hoc Sacramentum dilucidè & clarè edocet Sanchez *Lib*. *3*. *de Matrim*. *Disp*. *39*. *à num*. *5*. *ad* 14

16. Graviter peccat qui denuntiat *falsa* Impedimenta, sive *malitiosè* objicit Impedimentum ad Matrimonium impediendum, & est à Judice nempe Ordinario Loci puniendus. *c*. Cùm Inhibitio. *in fine de Clandest*. *despons*.

17. Denuntiationes possunt fieri *in una* tantùm Parochia: licèt si Neosponsi sint diversarum Parochiarum; ob *parvam* distan-

ſtantiam Parochiarum, nec multùm populô refertam, ſufficiat in Parochia *unius*, ſive Viri ſive fœminæ, ut poſſint Impedimenta (ſi quæ ſunt) manifeſtari, vel: quando *conſuetudine* introductum ſit, ut unâ duntaxat Parochia in qua ſcilicet Matrimonium celebrandum eſt; fiant. Laym. *Lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 10.*

18. Qui novit Impedimentum *ſecretum* & omnibus occultum, vel ſive ipſe ſciat ſive probari poſſit: non tenetur illud denuntiare cum ſuo gravi & conſiderabili incommodo, vel aliorum ſcandalo ſaltim probabili. Comitiol. *Lib. 1. Reip. moral. qu.* 112. quia in his Caſibus nec Fraterna Correctio, nec Præcepta Eccleſiæ obligant; Unde etiam in tali *Caſu* non denuntians Impedimentum occultum quod probare poſſet, non incurrit *Excommunicationem* latam (ſi alìas lata ſit) in Edicto Denuntiationum: contra ſcientes & non denuntiantes.

19. *Parochus* propria auctoritate poteſt & debet interdicere Matrimonium *oppoſitô* aliquo Impedimento: ùt conſtat ex *c. final. de Clandeſt. deſpons.* in verbis ibi = *Cùm autem apparuerit.* = Aſt Parochus hoc Caſu ſolùm *extrajudicialiter* interdicit, quod porro non eſt *Actus Jurisdictionis.*

20. Is qui intrà *quatuor* Menſes poſt peractas Denuntiationes non contraxit Matrimonium, non poteſt Matrimonium *mox* inire, niſi novas Denuntiationes denuo præmittat arbitriô Epiſcopi. *Ita Cardinal. Congreg. apud* Rebell. *in Declarat. Cardinal. Sect. 2. n. 8.*

21. Quando de Licentia Ordinarii una tantùm Denuntiatio præmittitur, non ſtatim ea factâ contrahendum erit Matrimonium, ſed per aliquod tempus *arbitriô* prudentis Viri differendum, ad hoc: quod deferri poſſint Impedimenta, ſi quæ extant inter Contrahentes. Ita Sanchez. Riccius. Guttierez. *& alii h. Tit.*

22. Si *Petrucius* habens Uxorem contrahat *de facto* cum alia & cognoſcat illam; ſive adulterium præcedat talem Contractum ſive ſequatur inter *Petrucium* & adulteram cum qua defactò contraxit, ſtante priore

Matri-

Matrimonio, nunquam poterit esse Matrimonium. *c.* Significavit nobis. *de Eo qui duxit in Matrim. quam poll. per adult. c.* Ex literarum. *c.* Si quis Uxore. *eod. Tit.* Intelligendum prædicta = Si mulier illa sciebat *Petrucium* esse uxoratum quando contraxit cum eo, *vel:* si nescivit quando contraxit; scivit tamen antequam adulteravit. = *vel* = postèaqùam sciverit tamen in pòst cum eo se miscuit.

23. Quò ad *dissolutionem* Matrimonii non sufficit publica *vox & fama*, & Testes qui inducuntur in Causa Matrimonii debent esse omni exceptione majores, sicuti in *Criminalibus. c.* Quia circa. *de Consangu. & Affinitt.*

24. Dubitans de morte Conjugis non sufficit qùod expectàrit per *quinquennium*; sed debet expectare *certitudinem* mortis Conjugis. *c.* DOMINUS ac REDEMPTOR. *de secund. Nupt.* Etiamsi certum dicatur; quod per *violentas* præsumptiones habetur, verùm in *Re tanta* nempe Sacramenti: debet significari *Testimonium tale*: quo tollatur omnis scrupuli & dubietatis causa. Unde non sufficit *vel* distantia locorum; cùm: ex remotissimis locis multi revertantur, *vel* desperatæ Infirmitatis testimonium: quum DEUS Omnipotens ex portis ipsius mortis multos retrahat. *Non* absentiæ diuturnitas = quia multi etiam servitutis laboribûs oppressi longam vitam vivunt, & ut alia *ex propinquo* omittantur exempla, *in Galliis* non ita multis abhinc annis Joannes *Maillard post 43.* usquè absentiæ suæ annos redierit; tum licèt toto eo tempore nihil de ipso fuisset auditum: Dercetô tamen *Senatûs Parisiensis* sancitum fuit, ut Matrimonium ab ejus Uxore contractum cum Viro qui plures Ipsi filios procreaverat, & jam è vivis intereà excesserat, *nullum & invalidum* haberetur. Plures hac de re causas affert Tournelly. *Tom. 4. Prælection. Theologic. de Sacram. Matrim. Art. 1. de Impedim. dirim.*

25. Parochus *per se* celebrare Matrimonium copulando Sponsos tenetur, nisi legitima graviqué de causa impeditus esset = Sic obloquente *Encyclica* ad Episcopos Poloniæ & M. D. Lithv. *Annô 1743. edita*, quæ incipit = *Nimiam licentiam.* Bullarii *Tom. 1. n. 90.* inserta.

26. *Consangvinei* ex obtenta Dispensatioue contrahentes Matrimonium sub *conditione turpi* vel impossibili, incidunt in Excommunicationem latam in *Clem. unic. de Consangu. & Affinit.*

27. Sacerdos modò Sœcularis modò Regularis qui audet conjungere non sibi subditos sine Parochi vel Ordinarii Loci Facultate. incurrit *ipso Jure* Suspensionem donec absolvatur ab Ordinario illius Parochi. quod patet *ex Trident. Sess. 24. cap. 1. Sanchez. Riccius. Guttierez & alii.* Jure antiquo incurrebat Excommunicationem. per *Clem.* Religiosi. *de Privil. & excess. Prælat.*

28. Matrimonium *Ratum & non consummatum* dissolvitur per solemnem Professionem *Equitum Militarium* quales sunt Equites *S. Joannis Hierosolymitani*: etiamsi non vivant *in communi*, tum: quia sunt veri *Religiosi*, tum: quia alioquin neq; dirimeretur Matrimonium *contrahendum*, quod tamen dirimitur in Sponsalibus initis. ita Henriquez *lib. 11. cap. 8. n, 6.*

29. Pater & Filius cum Matre & Filia Matrimonium contrahere possunt. *Item*: duo Cognati cum duobus Cognatis *licitè* contrahunt, de quo est clarus textus *in c.* Quod super his. *de Consang. & Affinit.*

30. Ad transeundum Gradus prohibitos: *Sex personæ* requiruntur quæ quintum Gradum constituant, in quo *licitum* est contrahere, & non minùs. Antiquitus jam in *Lege nova*, Lege nimirum *Gratiæ*, usqué ad *septimum* inclusivè Gradum Matrimonia erant prohibita, prout de hoc statuit Julius I. Papa, qui ad Pontificatum elevatus est Annô CHRISTI CCCXXXVI. Jam verò Concilium *Lateranense IV.* Annô MCCXV. celebratum, *restrinxit* Impedimentum *Consanguinitatis* usqué ad *quartum* Gradum, nam *Canone L.* statuit sic = *Prohibitio quoqué copulæ Conjugalis quartum Consanguinitatis & Affinitatis Gradum de cætero non excedat.* Hic Canon *Concilii Lateranensis* repositus est in *Decretalibus. c.* Non debet. *de Consangu. & Affinitt.* Unde jure novo = *Affinitas non parit Affinitatem.* Sic pro Casu sit exemplum = Duo Fratres licitè contrahunt cum duabus Sororibus & = ùt jam dictum est = Pater

&

& Filius legitimè conjunguntur, ille cum Matre vidua, iste cum ejusdem Viduæ Filia.

31. *Archiepiscopus* non potest *validè* esse *Minister* Matrimonio illi qui subditus est respectu sui Suffraganei Episcopi. *c.* Pastoralis. *de Offic. Ordin.*

32. Peccant *mortaliter* Sponsi *de futuro;* si delectentur de copula vel ùt *præsenti;* vel: ùt *futura*, eò: quia cui non est licita operatio; non est licita voluntas inde derivata.

33. Si puellæ etiam 25. annîs majores *hoc non obstante* in Monasterio degant;non solùm in Monasterii *Parochia* ubi parum *notæ* sunt; verùm & in Patris aut Matris, Curatorumqué *Parochia* ubi *notiores* sunt, *Banna* promulgari oportebunt, nisi si Contrahentes sint * *Magni Principes*, quorum *Parentela* facilè nemini est incognita.

34. Si concedenda speretur *apud Quem de jure* unius aut duplicis Banni *Dispensatio*, curabit admonere *primariò* illa denuntians, quatenus subinde revelare festinent, qui aliquid eo modo nôrunt revelandum.

35. Omne Impedimentum *perpetuum* Matrimonii etiamsi *impediens tantùm*; respectû Sponsalium fit *dirimens*.

36. Non solvitur conjugium per professionem *Vitæ Eremiticæ* extra Ordinem approbatum, quia Eremitæ hodierni *simplicia* tantùm *Vota*; eaqué ab Ecclesia pro solemnibus non acceptata emittunt. Nec etiam dirimitur per Vota à fœminis quibusdam piis *tertii* (ùt ajunt) *Ordinis* SS. AUGUSTINI, DOMINICI, FRANCISCI. emissa.

37. *Separatio* Conjugum *ex mutuo Consensu* fieri poterit, si agitur de separatione thori *quò ad tempus*, ùt constat *ex 1ma Corint.* 7. 45. = *Nolite fraudare invicem, nisi forté ex consensu ad tempus, ut vacetis Orationi, & iterum vertimini in idipsum. &c.*

38. Qùod si autem de *omnimoda Separatione* res sit: *Utriqué* ex mutuo consensu; aut *uni* ex consensu alterutrius *licet* Religionem profiteri, & hoc de scitu Loci Ordinarii, & qui in sæculo remanebit obstringet se ad servandam Castitatem.

39. Ex *Sponsalibus invalidis* non consurgit Impedimentum publicæ honestatis, quamvis *jure*

anti-

antiquo consurgeret. *c.* Ad audientiam. *de Sponsal. & Matrim.* *Non enim præstat impedimentum quod de jure non sortitur effectum.* per *Reg. Jur. LII. in Sexto.* Exurgit tamen è Matrimonio *invalido* modò non sit tale defectû Consensûs ùt esset: in ebrio, in amente, coacto ex gravi metu injustè incusso. *cit. c.* Ad audientiam. & *c.* Sponsam alterius. *de Sponsal. & Matrim.*

40. *Parochus* circa Matrimonium debet adesse cum libertate: tum rationis advertentia, ita: ut si vel invitus ac per vim adductus sit, vel *Benedictionem* deneget, *nullum* fit Matrimonium. *can.* Præsens. *caus. 20. qu. 3.*

41. *Hæretici*: ubi Concilii Tridentini Decretum est publicatum, tenentur *Formam* ejusdem tatione Matrimonii observare, proptereaqué etiam ipsorum Matrimonia absqué *Forma Concilii* coram Ministro *hæretico* vel Magistratu Loci contracta, nulla atqué irrita sunt. *Sacra Congreg. Concil. ad Eppi. Tricarien.* Consultationem *per Hierony. Cardinal Matth.* editam.

42. *Infideles* nequaquam sunt obnoxii Impedimento *publicæ honestatis*, siquidem isthoc: solo *Ecclesiastico jure* introductum fuit; quapropter: Si *Turca* contractis cum *Christiana* Sponsalibus ad *Fidem Orthodoxam* convertatur, poterit consanguineam in *primo Gradu* ducere, sic & de Judæo ac aliis *infidelibus* sentiendum est.

43. *Parochus* ad minùs jungens in Matrimonium Sponsos non factis *Denuntiationibûs*: incurrit pœnam *Suspensionis* à Divinis *per triennium.* ita præscribente *c. final. de Cland. Despons.* quæ tamen pœna non est *latæ, sed ferendæ Sententiæ.* Vincent. *de Jurisd. lib. 2. cap. 19. num. 34. de Dispen. Matrim.* Nihilominùs Sanchez *lib. 3. Disput.* 52. adducit *quinque* Casus ex antiquioribus Theologis collectos. Similiter Reginaldus *lib. 31. n.* 224. in quibus sustinent, neq; Parochum, nequé Contrahentes Testesvé Matrimonii: incurrere culpam aut pœnam ob omissas *Denuntiationes*, de una è numero harum paulò superiùs hìc facta est mentio. *

44. Si Causa *Divortii* processit ab Uxore, eò; quia ab ipsa com-

commissum sit *adulterium*, propter quod expulsa fuit à Marito, in tali casu Uxor perdit *Dotem*, & alimenta petere non valet. *c.* Plerumqué. *de Donat. inter Vir. & Uxor.*

45. *Parochus* licètsi possit imò dum etsi debeat *opposito Impedimentô* Matrimonium interdicere, non potest tamen de Impedimento *cognoscere*, sed illud debet statim ad *Ordinarium* deferre, quia Impedimentorum Matrimonii *Cognitio* pertinet ad Episcopum. *DD. in can.* De Consanguinitate. 35. *qu.* 2.& 3.

46. *Denuntiationes* possunt fieri eo tempore quo *Nuptiæ* prohibentur, sicut decrevit *Congr. Episcopor. die* 12. *Decembris A. D.* 1589. Namq; per *Interdictum* ab Ecclesia tempus, prohibetur certo Anni tempore sola duntaxat Matrimonii solemnis *celebratio*, ex quo ad Banna extendi non debet. *can.* Non potest. *can.* Nec Uxorem. 33. *qu.* 4. & *c.*Capellanus. *de Feriis.*

47. Quum ad Testes *assistentiæ* Matrimonii requisitos non addatur debere illos esse *omni Exceptione majores*; sufficiunt etiam *infames*, *foemina*, *pueri* habentes usum sufficientem rationis, *Parentes*, domestici, aut servi: pro majori libertate & facilitate in contrahendo *debitè*.

48. Necessitatas *Denuntiationum* Matrimonialium deprehenditur ex *Præcepto Ecclesiæ* de eisdem facto, non solùm in Concilio Lateranensi IV. sub INNOCENT. III. de quo refertur in *c.* Cùm inhibitio. *de Clandest. Despons.* verùm etiam in *Tridentino Sess.* 24. *cap.* 5. dum ait ⸗ *Negandam esse Dispensationem super Impedimento Matrimonii ignorato ob omissas Denuntiationes.* inquit ⸗ *Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur; cujus salubria Præcepta temerè contempsit.* quæ verba utiq; denotant *reatum* culpæ mortalis in omittentibus prædictas Denuntiationes: ita explicat Eminentissimus de Lauræa. *de Impedim. Matrim. Disp.* 22. *n.* 335. ubi adducit textum expressum *in can.* Si quis dogmata. 25. *qu.* 2.

49. Si quis *Christianorum* intendat Matrimonium inire *tanquam Contractum*; respuens rationem *Sacramenti*: nihil agit, eò quod ratio Sacramenti *inseparabilis* sit à Sacramento.

50 In Excommunicatione per *can.* Nullus nequé. *26. qu. 2.* jam verò in *Conc. Trident. Sess. 24. cap. 9.* lata contra Dominos temporales, Magiſtratus & alios cujuscunqué Gradus, qui ſubditos vel alios quoscunqué *directè* vel *indirectè* cogunt, ne Matrimonia *liberè* contrahant, non comprehenduntur *Domini* cogentes ſua *mancipia* contrahere Matrimonium, ſicut neq; comprehenduntur Patres vel uterq; & quis Parentum quorumlibet, qui prohibent vel cogunt invitos ad Matrimonium, nam *Concilium* loquitur de *cogentibus* qui habent *jurisdictionem* in Foro externo, quod patet legenti præfationem illius capitis allegati immediatè *Concilii.* Idipſum in textu enuntiant Decretales GREGORII PAPÆ. *c.* Cùm locum. *c.* Requſivit. *in verbis ibi* = *cùm libera debeant eſſe Matrimonia - - - cùm coactiones difficiles ſoleant exitus frequenter habere.* de Sponſal. & Matrim. *c.* Gemma mulier. *de Deſponſat. impub.*

51. Quæ nubit cum *Petro* intelligens eſſe *Joannem*; cum quo tamen si ſciret eum eſſe *Petrum* vellet etiam nubere; *invalidè* nubit.

52. *Error* aliquarum qualitatum non dirimit, nisi ponantur *ùt conditiones Contractûs* = ùt: qùod ſit *dives, nobilis* & ſimilia adjecta. vel qùod ſi inducant in errorem Perſonæ, ùt ſi quis diceret = *Ex filiabus Joannis nubo cum pulchriore.* = *Error* verò ſolius *Nominis* cùm conſtat de *Perſona; non impedit nec dirimit.*

53. Qui juraverit aliquam ducere in Uxorem: ſi non ſubeſt Impedimentum eam ducendi in Uxorem; per *Cenſuras Eccleſiaſticas* compelli poteſt, qua in re fusiùs informat Jus Canonicum. *c.* Ex literis. *de Sponſal. & Matrim.*

54. Rurſus: *Error conditionis ſervilis* impedit & dirimit Matrimonium. Hoc autem impedimentum ſolùm eſt de jure poſitivo, & ideo inter infideles non dirimit Contractum Matrimonialem. Quò ad *Sacramentum* ùt in præſenti; recenſitum eſt inter Impedimenta dirimentia: *in verbo* = *Conditio.* Sic expreſſa docent *in c.* Ad noſtram. *de Conjug. ſervor.*

55. Servi *aſcriptitii* qui prædia Dominorum perpetuò colere ſunt obligati, & originarii

ab

ab his descendentes non comprehenduntur in hac prohibitione maximè quò ad *esse & valorem Sacramenti*; cùm verò simul includat & supponat *Civilem Contractum* Potestati Dominicæ eatenus videtur subjacere. Hujus siquidem est *Civilem ac Politicum* Contractum dirigere atqué ordinare ad publicum Reipublicæ; ùt in Magnis Familiis: ac earundem Familiarum bonum, honorem necnon tranquillitatem, quod Regum ac Principum sœcularium proprium maximè esse: res est per se clara & manifesta, tum multò magis de *Potestate Dominica* quà in sibi *subjectos* ratione dotis, alimentorum, habitationis, &c.

56. Si secutum fuerit hoc *Impedimentum* post Matrimonium initum; illud non impedit. *cc. DD.*

Dirimentia prærecensita *Impedimenta* istius Sacramenti collecta sunt sparsim *ex Corpore Juris Canonici* utpote: ERROR. *can.* Quod autem. 29. *q.* 1. *c.* Tua nos. *De Sponsal. & Matrim.* CONDITIO. *c.* Proposuit. *c.* Ad nostram. *De Conjug. servor.* VOTUM. *c. unic. De Voto & Voti redempt. Clem. un. De Consangu. & Affinit.* COGNATIO. *can.* Post susceptum. & *sequ.* 30. *q.* 3. *can.* Ad Sedem. 35. *qu.* 5. *c.* Veniens. *c.* Tua nos. & *sequ. De Cognat. Spirit. c. un. De Cognat. Legal. c.* Non debet. *De Consangu. & Affinit.. c. final. De Cognat. Spirit. in Sexto.* CRIMEN. *can.* Si quis. 31. *qu.* 1. CULTUS DISPARITAS. *can.* Cave. *can.* Non oportet. *can.* Si quis Judaicæ. 28. *qu.* 1. VIS. *c.* Significavit. *De eo qui dux. in Matrim. quam poll. per adult.* ORDO. *c.* De Diacono. & *sequ. Qui Cler. vel vov. Matrim. contrah. poss. c. un. De Vot. & Vot. redempt.* LIGAMEN. *c.* Licet. *c. final. De Spons. duor.* HONESTAS. *can.* Si æqualiter. 25. *qu.* 3. *can.* Si quis. 27. *qu.* 2. *c.* Juvenis. *c.* Ad audientiam. *c.* Sponsam. *De Sponsal. & Matrim. d. c.* Non debet. *De Consangn. & Affin. c.* Literas. *De despon. impub. c. un. De Sponsal. & Matrim. in Sexto.* ÆTAS. *c.* Continebatur. *c.* Attestationes. *c.* Tuæ nobis. *De desponsat. impub.* AFFINES. *c.* Si quis. *De eo qui dux. in Matrim. quam poll. per adult.* CLANDESTINUS.

ex-

extant plures citati jam superiùs Canones. *can.* Aliter legitimum. *can.* Nullus fidelis. *can.* Nostrates. *can.* Qualis debeat esse. *can.* Sponsus. & *can.* Nullum. 30. *qu* 5. IMPOS. *c.* Ex literis. *c.* Fraternitatis. *De frigidis & malef. & impoten. coëun.* RAPTAqué. &c. tum & DEFECTUS PRÆSENTIÆ *Parochi & Testium.* habentur expresa in *Concilio Trident. Sess. 24. cap. 1. Decreto de reform. Matrim.* ubi per illa verba = *ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ.* non ipsa omnino *materialis*, quamvis hoc maximè deceat, (*exceptis* tamen Ecclesiis *Monialium*) verùm aliqua CHRISTI Fidelium multitudo coram qua fiat: datur intelligi, prout in *can.* Ecclesia. *De Consecr. Dist.* 1.

Ad Laudem & Gloriam Omnipotentis DEI, Beatæ MARIÆ VIRGINIS Gloriosæ, totiusqué Hierarchiæ Cœlestis, propagationem Fidei, cultum Justitiæ, & Religionis Christianæ salutiferum incrementum. &c.

Herburt. fol. 317. verb. Pax. §. Pacis & belli.

PERMISSU & APPROBATIONE

MAGNIFICI PERILLUSTRIS CLARISSIMI

& REVERENDISSIMI DOMINI

D. M. ANDREÆ DOMINICI

L I P I E W I C Z,

Utriusqué Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Facultatis Juridicæ PROCANCELLARII ac DECANI, Ecclesiarum; Cathedralis Cracoviensis CANONICI, Collegiatæ SS. OO. Cracoviæ CUSTODIS, Parochialium in Koniusza & Igołomia CURATI, Judiciorum Consistorii Generalis Cracoviensis ASSESSORIS, Librorum per Diœcesim Cracoviensem Ordinarii CENSORIS, Ordinandorum & Approbandorum EXAMINATORIS, Collegii Juridici SENIORIS PATRIS, Contuberniorum; Jurisperitorum & Regio-Jagelloniani, tum Academiarum; Posnaniensis, Tarnoviensis, PROVISORIS, Studii Universitatis Cracoviensis Generalis ac AMPLISSIMI

R E C T O R I S.